PRODROMVS EXEQVIARVM
Funeſtæ Pacificationis Pragenſis:

Nec non

GVSTAVVS, FRIDERICVS & LANDGRAVIVS

REDIVIVI,

PRO

RELIGIONE ET REGIONE PROTESTANTES & Remonſtrantes, Pacificationem Pragenſem, neque antehac à Proteſtantibus Imperii Statibus in Genere, nec hodiè à Celſiſſ. D^na. Vidua Caſſellana in ſpecie, quin imò ne ab ipſis quidem Romano-Catholicis Ordinibus bona conſcientia, vel apparente ſaltem aliquo cujuſcunque partis Eccleſiæ, politiæ, aut privato cujuſquam commodo acceptari potuiſſe, vel adhuc poſſe:

VBI SPARSIM

Prædicta Pacificationis flores inſigniores Chriſtianâ ſobrietate carpuntur & præſens periculoſiſſimus Europæ ſtatus ob oculos ponitur:

Autore BERNHARDO COMENIO.

Argumentum libri pagina præfationem ſequens Lectori exhibet.

Editio ſecunda, auctior & correctior.

Dionyſ. Halicarn. *Aeterna quadam Naturæ lege, nunquam intermoriturâ decretum eſt, ut Imperia ab injuſtis poſſeſſoribus ad* IVSTOS *transferantur.*

AMSTELODAMI,

Apud PETRVM IACOBI.

Anno 1639.

Digitized by Google

LUDOVICO XIII. JUSTO, Regi Chriſtia-niſſimo, &c.

CHRISTINÆ Deſignatæ Reginæ Suetiæ &c.

Ejuſque Majeſtatis Regnorum Celſiſſimis & Potentiſſimis Dn. Dn. TUTORIBUS & ADMINISRATORIBUS &c.

CAROLO LUDOVICO Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Archidapifero, Electori, Duci Bavariæ &c.

Digitized by Google

Illuſtriſſimis reſpectivè, Illuſtrib. & Præpotentib. Dnn.

FEDERATI BELGII ORDINIBUS, Generalibus &c.

AMELIÆ ELISABETHÆ Principiſſæ Haſſio-Caſſellanæ &c. Comit. Hanoviæ &c. Viduæ.

Inclyto SENATUI & CONSULIBUS liberæ Urbis Amidenæ.

Regi, Reginæ,
Principibus, Dominis &
Dominab. ſuis reſpectivè clementiſſimis,
clementibus & gratioſiſſimis.

Digitized by Google

Omnibus publicæ Libertatis qua ſacræ, qua profanæ intra & extra Rom. Imperium Aſſertoribus & Vindicibus BERNHARDUS COMENIUS Rem cum Deo benè gerere.

DUm vos publicæ Libertatis cuſtodes & divinitus conſtituti Promachi hoc perturbato Europæ ſtatu ubique rerum veſtrarum ſatagitis, funeſtæque Pacificationi Pragenſi condignas exequias paratis: & dubius eventus diuturnioris armiſtitii & particularis tranſactionis Haſſiacæ vigilantiorem quemque de nova boni publici convulſione & communis bonorum ſcopi retardatione nimium quantum ſolicitum reddit, Ego commoda & incommoda ejus (ut aliquibus ex Fidelibus veſtris notum eſt) nuper epiſtolariter primum delineare, tum paulo fuſius exponere: non ſolum ut noxiam ejus fabricam pro virili disjicerem, ſed (in eventum Landgravianæ conſtantiæ) ſimul etjam juſtiſſimas ejus cauſas hinc æquiorum *menti* aperirem, hinc lividorum *denti* opponerem, ne, quod juſta Libertatis defenſio poſtulat, denuo per antiquam calumniam inquieto Reformatorum ſpiritui aſcribatur. Ex animo condoleo omnibus iis, quibus utrinq; à propriæ fidei conſortibus tot annorum onera graviſſima ferenda ſunt: ſed neceſſarium illud idemque tranſitorium malum patienter tolerandum eſt, ut æternæ ſervitutis vincula rejiciantur: quæ denuo excuti poſſe certiſſimus ſum (quicquid Auſtrio-Hiſpanicus faſtus ſibi imaginetur) modo ſub imminentem generalem præſentis belli cataſtrophen Celiſſima D^na. Vidua Caſſellana male ſic dictæ Pacificationi Pragenſi, equo illi Trojano, mille technis farto, intra ſuæ juriſdictionis pomœria locum non concedat, eoq; ipſo oppreſſis reliquis Ordinibus reſpirandi, ſeſe recolligendi & tandem reſurgendi anſam & occaſionem non præcidat, multo minus communem cauſam (quæ focos & aras totius Europæ concernit) citra neceſſitatem juſto diutius deſerat, hoſtium fraudes corroboret,

ret, Sociorum conſilia turbet, deteſtandam aliorum inconſtantiam ſuo, (quod abſit,) exemplo palliet, acquiſitam D^{ni.} Conjugis fel. rec. gloriam obnubilet, eximios progreſſus relictæ Ipſius Militiæ retardet, ſanctoſque ejus manes nunquam ceſſaturis rei bene quidem cœptæ, ſed ignaviter deſertæ ſpiculis conpungat & ad juſtam ſuccenſionem commoveat, propriam ſui exiſtimationem deminuat, ſe ipſam tot exantlatorum laborum & periculorum fructu, debitaque æterna virtutis laude privet, in portu volens allidat, aureæ libertatis naufragium faciat, eamque cum turpi ſervitute commutet, alioſque in idem miſeriarum barathrum præcipitet.

Hujuſmodi quippiam ne Guſtavus Magnus, Fridericus Patiens, Landgravius Conſtans f.f.f. r.r.r. VIVI committerent, longe graviſſimæ rationes ſubfuerunt. Ex iiſdem ergo fundamentis idẽ tam à Proteſtantibus in genere, quam in ſpecie à Celſiſſi. Dna. Vidua Caſſellana obtinere debebant iidem Heroes REDIVIVI, pro Religione & Regione hic proteſtantes. Idque vel maxime ob unicam hanc cauſam, *quod ſanctas illorum Intentiones, qui vivi nobis longè chariſſimi fuerunt, vel poſt eorum exceſſum promovere & effectui dare, non tam laudabile, quam religioſum longeq; pientiſſimum meritò ſemper judicatam ſit.* Sanctæ illorum Principum Exuviæ, cunctos quibus aliquid ſublimioris auræ hauſiſſe obtigit, merito commonefacere debebant, ſi unquam ante hac, jam certe honeſtum, utile & jucundum eſſe *pro patria mori.*

Vobis Patres & Reſp. Patronæ Patriæ, præfati illi Heroes VIVI *non in precio ſed admiratione fuere,* REDIVIVOS *ergo ſerena fronte ſuſcipite & ſuis quoque ſubſellüs locate, ut quod* VIVI *vobiſcum, idem &* REDIVIVI *peragant: Ne quid Reſpublica ulterioris detrimenti capiat.* Dominus Jeſus veſtri catenum magis & magis uniat & muniat ut invicti Gordium nodum jugi Auſtrio-Hiſpanici brevi quam pleniſſime diſrumpatis, ad univerſalis, ejuſdemq; ſecuræ Pacis recuperationem & diuturnam ejus uſuram. Exarabam urbe Eraſmiana, prid. feſti Pentecoſt. Anno 1639.

Nominalis Pacificationis Pragenſis acceptationem omnibus Imperii Ordinibus tam Proteſtantibus quam R. Catholicis diſſuadent rationes veræ ſeqq. quia

I.

PAcem Religionis antehac ex pragmatica ſanctione Imperii , & reciproca omnium Statuum obligatione pendentem, fulcris ſuis privat, & ex privata libidine duorum Principum citra datam poteſtatem contrahentium appendit, nullâ omninò de concluſis in futurum ſecuritate præſtitâ.

I I.

Eandem Pacem Religionis tam quoad Proteſtantes quam ipſos Pontificios, non minus quam ipſam Majeſtatem Imperii in periculoſiſſima novacula acie conſtituit, dum eam ſpatioſiſſimis belli cum exteris Nationibus gerendi juribus alligat.

I I I.

Communionem Sanctorum, Chriſtianiſmi nervum & compagem è medio tollit, potiſſimamque Euangelicorum partem tenebris conſcientiarum objicit & luce veritatis privat.

I V.

Lucem cum tenebris apertè miſcet, fidelium communionem cum infidelibus introducit, & ſpem futuri Conſenſus in negotio Religionis præſcindit.

V.

Communem Proteſtantium cauſam in puncto ſpiritualis Reſervationis *(quam vocant) multis modis reddit deteriorem.*

V I.

Religionis utriuſque paxin non ad Normam verbi Dei, non ad traditiones Eccleſiæ nec leges Imperii: ſed ſubtili ſophiſmate & longe periculoſiſſima in futurum conſequentia, ad territorialem juriſdictionem alligat.

V I I.

Ex utraque Religione Protheum facit & novum Samaritaniſmum Chriſtianiſmo invehit.

V I I I.

Romani Imperii Libertatem profanam è medio tollit ejuſque Axioma Domui Auſtrio-Hiſpanicæ hæreditariè tranſmittit: Electorum præeminentiam evertit, & abſolutum illigatumque Dominatum Hiſpanicum manifeſtè ſtabilit.

I X.

Ferdinando abſolutum quidem, ſed furtivum armorum arbitrium, & illimitatam

tam Iuriſdictionis uſurpationem tribuit, contra Bullam auream, Cæſaream Capitulationem; contra praxin priſcam & nuperam Imperii.

X.

Liberos Imperii Ordines è levioribus malis in longè graviora & velut è purgatorio in ipſiſſimam gehennam protrudit.

X I.

Horrenda fœdifragia & nunquam impunè patrata perjuria ſancit, tantique furoris & mutuæ Chriſtianorum laniena concitatrix eſt, cujus vix ſimile exemplum Hiſtoriæ capiunt.

X I I.

Manifeſto crimine falſi, non ſine turpi antilogia, veram præſentis belli cauſam pervertit, dum illud falſiſſimè Friderico Bohemo Palatino affingit, quod tamen Ferdinandus toto decennio ſerius, ob bona Eccleſiæ excitavit: ut aliena invidia nigredinem ſuam hic dealbare fruſtra conatus ſit.

X I I I.

Præſentem Dei providentiam & paternam pro Eccleſia & Republica curam, quæ ſuis toto belli hujus tempore præſens ſemper fuit, ex parte Proteſtantium (quotquot illorum citra cogentem neceſſitatem ei ſubſcripſerunt) abnegat & ingratiſſimis pedibus conculcat.

X I V.

Reformatæ Religionis liberum exercitium occultis cuniculis è Romano Imperio eliminat, ut Proteſtantibus abinvicem ſeparatis, Reformati primi extorres agantur, Lutheranis eorum veſtigia propediem preſſuris, donec ſucceſſivis vicibus omnes exturbentur.

X V.

In ſpecie Domui Caſſellanæ noxia eſt ratione cauſæ Marpurgenſis: quam tamen Lineam (in cujus ſubſcriptione Auſtriaci generalem de Ordinibus triumphum quærunt) ad ejus approbationem nulla cogit neceſſitas.

X V I.

Curſus Iuſtitiæ civilis per eam non ſiſtitur ſed multis modis planè tollitur, dum Iudicium Cameræ Imperialis obliquè imminuitur, ut Iudicium Aulicum cum tempore ſolum prævaleat.

X V I I.

Exteri Principes & Reſpub. quæ præſentis Tragico-Comœdiæ Actores adhuc fieri cogentur, ejus approbatione offenduntur, ut manum auxiliatricem preſſis Imperii Ordinibus nunc & in futurum ſubtracturi ſint:

Eandem

Eandem Pacificationem Pragenſem ſpecioſe commendare videntur rationes apparenter tantum veræ, quæ refutantur.

I.

Pravum exemplum potioris Romani Imperii partis, ubi occurrit Pacificationis Pragenſis acceptatio cæca, coacta, voluntaria.

II.

Ipſius Romani Imperii reſpectus & autoritas, quod falſa hypotheſi ex Dan. 2. & 7. capp. æternum & invicibile judicatur: qua de cauſa cum Ferdinando potius in gratiam redeundum, quam exteris Sociis conſtanter adhærendum ſit.

III.

Ferdinandi III. legitima in R. Regem Electio vel q. cui obedientia debeatur: ubi ejus ad Faſces habilitas & inhabilitas, itemque Electorum origo poteſtas & officium conſideratur.

IV.

Rationes ſuaſoriæ ſolius Domus Caſſellanæ conjunctim examinantur.

V.

Seorſim, ratione inconſiderati neglectus oblatæ gratiæ Cæſareæ, quæ in futurum præcludi poſſet, ſi fortè Exteri, neglecta Domo Caſſellana, cum Ferdinando tranſigerent: ubi rationes Illorum contrariæ, necnon Domus Auſtrio-Hiſpanicæ laquei omnibus Principibus & Rebuſpublicis tenſi explicantur.

VI.

Seorſim agitur de ære ſubſidiario Militiæ Landgravianæ.

Dum

EXEQVIÆ
PACIFICATIONIS PRAGENSIS.

DUM hoc rerum ſtatu, poſt totius Germaniæ olim florentiſſimæ horrendam dilacerationem, juſtiſſima eademque poſt tot fraudulentos & violentos inſultus, hactenus quidem nunquam non victricia, Domus Haſſio-Caſſellanæ arma Ligæ Auſtrio-Hiſpanicæ, & ejus Adhærentibus unguis ut dicitur ſunt in hulcere; quæ non ſolum ſterilibus his induciis ab humeris ſuis remota ſenſimque attrita, ſed & particulari aliqua tranſactione, non ſine maximo Domus Auſtriacæ ſtabilimento, ad communis Proteſtantium cauſæ ruinam, penitus è medio ſublata vel ad ſuas partes derivata vellent: Celſiſſima etiam Domina Vidua Landgraviana ex diuturniori armiſtitio, poſt præmaturum conſtantiſſimi & laudatiſſimi Conjugis obitum, in *hâc infantili* legitimi *Succeſſoris* ętate diverſis conſiliis diſtrahi & inter graves in utramque partem rationes nutare, quin & ab hoſtium ſuggeſtionibus non omninò aliena eſſe videatur: ipſa etiam Tranſactio & Decretorum Pragenſium acceptatio (ex qua vel coronis & generalis Domus Auſtriacæ de omnibus Imperii Statibus triumphus, vel fatalis ejus ruina & caſus non minimam partem dependet) favorabiles utrinque Patronos & ſpecioſos piæ, honeſtę & æquæ utilitatis prætextus habeat; ideo rem fructuoſam, quin & iis quorum intereſt gratam me facturum confiſus ſum, ſi potiſſimas ejus rationes in utramque partem colligerem, ut iis juxta ſepoſitis, tam ipſa Celſiſſima Domina Vidua, eò quo par eſt honore præfata, (dum ſaniori conſilio locus) quam omnes alii ſive privati ſive in Eminentia conſtituti, citra oculorum faſcinationem, & rei ipſius intricatam & ementitam perverſionem manifeſtè contueri poſſint, quid hoc paſſu coram DEO, ſociis, ſubditis, quin & totius mundi & ſeræ poſteritatis conſpectu, ſine propriæ conſcientiæ cauterio & ſtigmate admitti & excuſari poſſit.

Cum autem morbi graviores & pertinaciores correſpondentem ubique remediorum ſymmetriam requirant, nemo quoque liberalioris ingenii juſte mihi ſuccenſere poterit, quod in hoc lethali Germaniæ

Digitized by Google

morbo vehementioribus alicubi invectivis uſus ſim. Novi,laus DEO, quæ Reverentia Supp: debeatur: ſed eam nuſquam lædunt, qui enormibus eorum lapſibus aſſentatorum more connivere nequeunt, cum id non tam Principibus ipſis quàm toti Reipublicæ tandem luctuoſum & funeſtum ſit. Ipſa ergo publica Neceſſitas, & patriæ libertatis amor, nec non juſtus dolor ob boni publici deſertionem & proditionem, ut & tot innocentiſſimarum animarum publicè & privatim oppreſſarum commiſeratio, futurique ſervilis jugi ſeria præmeditatio rigorem omnem excuſabunt: Quamvis æquis mentibus nunquam vehementius id videri queat,quod in commune proficuum & ſalutare.

DUm ergo Pax cæteris Ordinibus Imperii obtruſa,hodieque Celſiſſimæ Dominæ Viduæ Caſſellanæ oblata,Decretis illis,quæ Pragæ Anno 1635. conſarcinata ſunt,continetur: id ſub initium in genere de iis aſſerimus: quemadmodum Diabolus capitalis humani generis hoſtis; ſe in Angelum Lucis transformans protoplaſtos noſtros nulla commodiore viâ, quam ſub *Specie boni* fallere, & à verâ libertate abductos, maledictis ſui jugi vinculis conſtringere potuit: Sic inſatiabili Auſtriorum Hiſpanorum ambitioni & dominandi libidini,quæ tyrannide & rapinis omni jam fermè Europâ ſurſum deorſum verſâ, ſe domeſticis & exteris fœtidam reddiderat, non commodior ratio ſuperfuit, quam ſub dulciſſimo & ab omnibus deſideratiſſimo Pacis nomine (quam ipſi toto fere Orbe Chriſtiano profligârunt,) cunctis imponere: Verus interim ipſorum ſcopus fuit; fundamenta & Baſin Aureæ Libertatis Germanicæ (quæ in mutua Proteſtantium inter ſeſe & cum exteris conjunctione & correſpondentia conſiſtit:) evertere: ad eumque ſcopum aſſequendum externâ quidem ſpecie Ligas, Uniones & fœdera omnia tollere;ut Proteſtantes dearmati Ligæ Hiſpano-Auſtriæ accederent,eademque abſoluto LXXX legionum imperio firmata,non ſolum contributiones ſanguinarias extorquere,Proteſtantes depauperatos partim opprimere,eliminare;tum & Status Pontificios ſub jugum mittere, abſolutoque in imperio Dominatu impetrato tandem quoque extraneos Reges & Reſpublicas,(ſi eo uſq; dementari potuiſſent) violentis armis oppetere poſſet. Hic ipſorum finis dum prudentioribus pateſceret, generoſioribus intolerabilis appareret,& præſentibus Auſtrio-Hiſpanorum viribus nondum proportionatum exiſteret, larva quadam externâ ſpecioſæ pacis incruſtandus fuit: Pacis, inquam, quæ vix plus habeat pacis, juſtitiæ, candoris, charitatis,& Chriſtianæ hone-

Digitized by Google

honeſtatis, quàm vel Oceanus dulcedinis, vel ipſe Infernus ſalutiferæ lucis & requiei: de quâ verè conteſtari queas. *Neminem, cujuſcunque Religionis, ſtatus & conditionis fuerit, ei acquieſcere poſſe, niſi divinam vindictam in ſe concitare, Eccleſiam cujus ipſe communionem profitetur, ſive Catholicus ſive Euangelicus ſit, offendere; quin & Rempublicam, cujus ipſe qualecunque membrum, deſerere, conſcientiam propriam indelebili macula & cauterio conſpurcare; & tandem ſe, ſuos & ſua omnia ineluctabilibus periculis lubens objicere, jugoque Auſtrio-Hiſpanico ſubmittere velit.*

Profitemur autem hâc vice noſtri inſtituti nondum eſſe, omnes Pragenſis Tranſactionis dolos & captiones recenſere, quod commentarios & laxius otium requirit: Multo minus honeſtam, firmam, ſecuram, univerſalem & minimè ſuſpectam pacem (quæ verè Pax ſit) ullo modo retardare: Sed ea tantum in medium adducere, quæ turpitudines inſigniores retegant, quas Pacificatores ſub dulci Pacis nomine ſimplicioribus venditarunt: turpiſſimæ ſervitutis retiā Statibus ubique locorum tendentes, & dudum præconceptum abſolutum dominatum Domus Auſtrio-Hiſpanicæ palam ſtabilientes. Quemadmodum autem falſitates & errores horologiorum Gnomoni ſeu Indici horologico communiter omnes tribuuntur, licet pravitatis origo à malis Æedituis proficiſcatur: pariter virtutes Pacis Pragenſis Ferdinando & Saxoniæ Electori meritò acceptæ feruntur, quorum nomine editæ ſunt: quamvis nemo ignoret, utrumque à vafris Conſiliariis multipliciter circumventum & præcipitatum eſſe: qualem hi tandem mercedem reportaturi ſunt, dies & Deus manifeſtabunt.

Rationes autem ſupradictam illam noſtram aſſertionem confirmantes, & Pacificationis Pragenſis acceptationem vel approbationem vetantes, ſunt vel communes, quæ omnes in univerſum concernunt, vel particulares, quæ ſingulos ſive Status ſive perſonas privatas ſeorſim feriunt. Utræque ſpectant præſentiſſimum damnum Eccleſiæ & Politiæ. Ubi ſemel pro ſemper monemus, nos vocem *Eccleſiæ* in ſenſu lato hîc ſumere (non enim ex profeſſo Theologica tractamus) pro cœtibus tam *Proteſtantium quàm Romano-Catholicorum: Id enim tanquam indubitatum & ab omnibus conceſſum præſupponimus: Vbicunque fides de S. S. Trinitate, verâ Patris in nomine Chriſti adoratione, & gratuita peccatorum per Chriſtum remiſſione inconcuſſa manet, iis locis omnibus aliquem Dei electorum vereque ſalvandorum numerum ſemper supereſſe:* licet nemo diffiteatur, ejus cœtus majorem in uno quam altero loco puritatem reperiri. Nec id remoratur

tur

tur præfixum meum ſcopum, penes utram partem major doctrinæ puritas conſiſtat: De eo enim Partes diſſidentes non ita citò tranſigent, ſed ſufficiet id monſtraſſe, quod utraque tam Proteſtantium, quam R. Catholicorum Eccleſia, Pacificationis Pragenſis Dictatoriis decretis, præſentiſſimis periculis objecta & lethalibus damnis affecta; quin imò ſtudium omne Religionis in meram hypocriſin & Simoniam transformatum, nec minus incommodi Reipublicæ profanæ, quam ſacræ, cum intra tum extra limites R. Imperii illatum ſit. Quæ omnia & ſingula preſſius examinanda & fuſius demonſtranda ſunt. Dum ergo rationes communes aggredimur, quæ ratihabitionem Decretorum Pragenſium omnibus in univerſum diſſuadent; hanc generalem Regulam præmittendam cenſuimus, quæ deinceps omnibus rationibus & argumentis generalibus accommodari poterit: nimirum; *id quod omnibus Chriſtianis, citra ullius exceptionem, toto facti genere prohibitum & illicitum eſt, id nemini in individuo, adeoque nec Celſiſſima Domina Vidua Caſſellana, aut cuivis alteri Statui liberum & conceſſum eſſe. Approbationem autem & acceptationem Decretorum Pragenſium, iis caſibus, quos deinceps allegaturi ſumus, toto facti genere illicitam & minimè conceſſam eſſe, & per conſequens à nemine ſalvâ conſcientiâ admitti poſſe, deinceps cum bono Deo oſtendemus.*

Quemadmodum autem fatale hoc bellum externa quidem ſpecie ob bona Eccleſiaſtica, revera autem ad Germanicę Libertatis & Proteſtantium Statuum reſpectivè oppreſſionem & defenſionem, à partibus contrariis hactenus geſtum eſt: quarum unaquæque ſuam peculiarem intentionem præfixam habuit hodieque habet: Sic ejus quoque imaginaria compoſitio, à duabus itidem partibus Pragæ tentata, quarum unaquæque commodum ſuæ Confeſſionis vel quaſi promovere voluit. Hîc nunc mihi vide, quam pulchrè & concinnè id à Tranſactoribus ab utraque parte factum ſit, ut condignas ipſorum meritis gratias eis habere, & pro re natâ agere & referre queas.

I. Ut igitur à Jove principium fiat, Pacificatores Pragenſes Eccleſiam Chriſtianam tam Confeſſioniſtarum quam Pontificiorum omni præſidio humano, per ſe licito & divinitus gratioſè conceſſo denudant, ſecuritatemque divini cultus à duorum capitum longe diſſimilimorum cerebro & in dies mutabili arbitrio ſuſpendunt: cum tamen orbi notum ſit quantis laboribus, periculis & ſumptibus, quanto ſanguinis cumulo, quot publicis totius Imperii deliberationibus & ſaluberrimis Conſtitutionibus ac Receſſibus Publica Religionis Pax ab

Digitized by Google

Anno 1517. ad Annum 1555. comparata & acquiſita ſit: cujus unicum firmamentum & baſis ſecundum Deum, non in clandeſtinâ duorum Dictatorum conſpiratione, ſed mutuâ omnium Statuum obligatione ad Publicarum legum tenorem, contra tot & tantas Turbatorum molitiones, hactenus firma & immota conſtitit. Ea Pax, quamvis Decretis Pacificatorum utcunque roborari & ſtabiliri primâ fronte videatur, *ejus tamen fundamentum iis verè ſubruitur & plane evertitur: dum id quod antea ab univerſali harmonia, conſenſu & approbatione omnium Imperii Ordinum pendebat, & jurata reciproca obligatione convinciebatur,* hîc non ſine ſummo Ordinum præjudicio, cæterorum manibus eripitur, & longe periculoſiſſimâ epithetorum immutatione arctius reſtringitur: atque *ex unâ, dubiæ Saxonis fidei, ex alterâ parte novercali Ferdinandi II. cura committitur*; qui diverſis vicibus ſolenne juramentum de hæreticorum extirpatione reiteravit & ex D D. Pontificiorum ſententia ne minimam quidem de Bonis Eccleſiaſticis diſpenſandi, multò minus ea alienandi poteſtatem habuit. Hi duo Atlantes de Negotio, quod poſt exortum ſuper Religione ſchiſma, Romani Imperii ruinam & incolumitatem concernit, de aris & focis pro lubitu leges cudunt recudunt, figunt refigunt, ex mero proprio faſtu & intolerabili libidine. *Contrarias* regulæ *pietatis, contrarias juſtitiæ* tamdiu duraturas, quamdiu vel Imperator iis ſtare, vel Saxo eas intemeratas conſervare potuerit. Id eſt ad trihorium, quod jamdum evanuit. Quod nemo diffitebitur, qui mecum conſiderabit, neutrum illorum tempore Tranſactionis Pragenſis vel mandatum aut poteſtatem ab aliis, vel autoritatem ex ſeſe habuiſſe, de ejuſmodi rebus cœcas leges & Tabulas privatis commodis accommodatas condendi, quæ publicam totius Imperii, & infinitarum millium animarum temporalem & æternam ſalutem attingunt, eaſque aliis ſuæ juriſdictioni minimè ſubjectis ſuperciliosè, minaciter & violenter obtrudendi.

Atque ex Saxonis quidem parte res tam manifeſta eſt, ut nulla demonſtratione egeat.

Quoad Ferdinandum, paulo majori conſideratione opus erit. Non autem ad id attendemus hoc loco, an ex Pontificiorum D. D. ſententia Ipſe citra Pontificis conſenſum de Bonis Eccleſiæ (*Catholicorum*) diſpenſare poſſit. tam certò ſcientes ex illorum hypotheſi Proteſtantes cauſa caſuros, quàm certo ſcimus, Pontifices pactis inter Imperatores legitimos (legitimos dico) & imperii Ordines nil derogare poſſe. Citra

tra hoc ſi ſiet, ſtolidè Proteſtantes, prius de Bonis (Eccleſiæ) dimicarent, quam vitæ & Salutis ſecuritatem armis aſſecuti eſſent. Ferdinandum itaque quod attinet, is tempore Pragenſis Tranſactionis, non Romano ſolùm Imperio, ſed exteris etiam regnis, quin univerſo Orbe terrarum conteſtante, tum diuturnis oppreſſorum Statuum querelis, tum inprimis prolixiſſimis Lipſiaci Conventus Actis publicis, multipliciter convictus erat, uſurpatæ in Romano Imperio manifeſtæ tyrannidis, & multoties *violata Cæſarea jurata Capitulationis*, ideoque (licet publica ejus degradatio ob Statuum puſillanimitatem ſeparationemque & mutuam diffidentiam non acceſſerit) ipſo tamen jure non minus quam facto, à Proteſtantibus, quos contra præſtitum juramentum tantum non oppreſſerat, toto belli præſentis tempore (quod ab Anno 1629. ob bona Eccleſiaſtica geſtum eſt) eorumque Sociis, pro publico hoſte habitus & oppugnatus eſt: cujus actiones ne ipſi quidem Electores Eccleſiaſtici, quamvis ejus fidei conſortes, approbare potuerunt, ut infra ſuo loco docetur. Quod Proteſtantium factum ipſum jus Naturæ non ſolum excuſat, ſed & probat: quod dictat, Dominum feudi, qui vaſallum impotenter exagitet, jure ſuo non minus privari, quam vaſallum, qui Feloniam commiſerit. Unde & leges feudales cuivis vaſallo malè habito permittunt, Dominum Paribus non auſcultantem deprædari. Quod ipſum ſi uſpiam obtinere debet, certè debet in libero imperio: ubi Imperator non Abſolutè ſupremus eſt feudi Dominus, ſed ſuo reſpectu ipſe imperii (per Rectores repræſentati) feudatarius eſt: Nec enim alia conditione aut fundamento ſuperioritas ei à Paribus communicata eſt, quam quatenus ea legibus fundamentalibus & Juratæ Cæſareæ Capitulationi, correſpondere debuit; extra quos limites nulla ſubjectio, nulla ſubmiſſio jurata aut promiſſa. Quod Proteſtantes Lipſiæ agnoverunt, eoque tyrannidi omnes legum limites longiſſime excedenti juſtè ſeſe oppoſuerunt. Quod vel ipſe Ferdinandus agnovit, ideoque poſt Lipſiacum Conventum in Banni fulminibus evibrandis, ad totalem Repulſam evitandam, non tam liberalis fuit, quam ſuperioribus annis; quinetiam omnibus fermè mandatis abſtinuit; donec poſt Saxonis corruptionem & à Sociis defectionem, Anno 1635. ſpiritus tandem reſumpſit, & Diplomata (avocatoria, paciſque promulgatoria) poſtliminio in uſum revocavit, ut pro fido paſtore denuò reciperetur, poſtquam rabidi lupi inſtar oves tot jam annis dilaniaſſet. Nec unquam fortè tantam audaciam eo rerum ſtatu ſibi reſum-

ſumſiſſet, niſi *Delilam Saxonicam* & ejus corrivales hinc inde in Imperio, ut notum eſt, nutibus ſuis annuentes & opimis largitionibus inhiantes repeririſſet. Quis hic non agnoſcit,ſuſpenſa tum,juſtiſſimiſque de cauſis ſublatâ Cæſareâ authoritate,ſine præviâ cum Statibus reconciliatione,citra manifeſtum læſæ partis conſenſum,à Ferdinando mandatum & poteſtatem non habente, eodemque publico hoſte; & in controverſia actore ſimul & judice, liberis Imperii Ordinibus invitis nihil obtrudi potuiſſe: quamvis vel in ſpeciem nec iniquum nec inutile fuiſſet; cum omnia ea, quæ durante hoſtilitate ab hoſtibus ſibi ſolis ſapientibus proficiſcantur, quamvis veræ bonitatis aliquid habeant, duplo tamen majori malo plerumque conſperſa ſint, ideoque meritò ſemper ſuſpecta eſſe debeant. Quorſum & illud accedit, quod laudatiſſimi ſuperiorum ſeculorum Imperatores, ſtatu Reipublicæ parato, nunquam tantam ſibi ſumpſerunt authoritatem, ut de ſummis Imperii negotiis & apicibus citra ſolennem Ordinum præſcientiam & conſenſum vel ſoli vel Duumviraliter conſtituerent. Nedum ut perturbatiſſimo hoc rerum ſtatu, Libertate jacente, ipſis Turbatoribus tanta licentia concedenda ſit. Dum ergo neque alienum mandatum, neque poteſtatem propriam, neque ſpeciem æquitatis aliquam ſuis tractatibus & concluſis prætexi poſſe agnoverunt: unum medium *Coactionis* uſurpandum fuit. Verum enim verò extraordinarium hunc procedendi, ſeque offenſis Statibus iterum inſinuandi, & Domino Filio ad ſucceſſionem Viam præparandi modum, Summo Neceſſitatis Imperii prætextu Duumviralia Decreta excuſant. Sed cur tam altum ſilentium de præfractis illis Turbatoribus, qui Imperium in tantam neceſſitatem præcipitarunt? Dum ſanguinarium illud Diploma, de bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione, ne ſemel quidem auditâ alterâ parte, quamvis mediam Imperii portionem conſtituente, à violentâ executione ſunt exorſi. Nimirum, ut pallio quodam ſuam turpitudinem & percipitantiam obvelaret Ferdinandus, totum hoc bellum, quod ob fatale illud edictum, univerſum Imperium concuſſit, Friderico Bohemo Palatino imputandum fuit! Quis autem tam hoſpes in horum annorum hiſtoria, ut ignoret ab Anno 1623. Fridericum ſe totum conſiliis Anglicanis accommodaſſe? Quid Eccleſiaſticorum bonorum ille Anno 1629. poſſedit? An ad occupandum Palatium Rhenenſe, quod tempore exilii ſui in fundo ſpirituali extruxit, militi Fridlandico tantâ per mare Balthicum in Geldriam circuitione opus erat? Nulla itaque neceſſi-

neceſſitas tanta eſſe potuit, quæ liberos Imperii Status vel Saxoniæ Elect: arbitrio, vel Ferdinandi priſtinæ libidini & intemperiei ſubmitteret, vel tanquam mera & muta mancipia à Prag: tractatibus excluderet, & ſub ſpecioſo pacis prætextu novis bellorum incendiis exponeret, jugoque ſempiterno ſubjiceret, è limbo Patrum conjiciendos in gehennam! O ſuſpectos illos curatores! O miſerrimos illos pupillos à quorum rationibus periti calculorum removentur. Excuſari forte poſſet extemporanea hæc inventio, ſi veram pacem reduceret, nec fulcro arundineo niteretur, merumque faſtum, ambitionem, proprii commodi ſtudium redoleret, & nova bellorum incendia concitaret, novas Contributionum rapinas introduceret, & hâc viâ priſtina ſpolia tacitè comprobaret. Breviter; omnem honeſti, æqui & boni rationem negligeret. Quod ſi enim Decreta penitius contemplemur, firmæ ſecuritatis & æquitatis ſi non planè nihil, parum certe deprehendemus. Securitas namque Eccleſiaſtica, (ut ſupra dictum) è ficulneo folio & aranei tela, ſponſione nimirum Saxonis & Ferdinandi ſuſpenſa eſt. Ex Ferdinandi quidem parte non alio fine, quam ut brevi cum Bohemorum Literis Majeſtatis tumuletur. Sed objicis. Hi duo in eventum approbandæ Pacis repræſentarunt utramque Imperii partem; adeoque ſi Status Decreta utrinque approbaſſent (ut à pleriſque factum eſt) ſponſio & cautio pro ſecuritate Religionis non ſolùm penes Tranſactores ſed partes repræſentativas ſtetiſſet. Reſpondeo: Sed Statuum ſubſequens ratificatio & approbatio requirebat prævium neceſſarium Decretorum examen, ipſorum etiam Concluſorum ſi non ſummam æquitatem, utrinque tamen proportionatam æquabilitatem, & tandem voluntatis liberam electionem & aſſenſum. Decendialis autem illa coactio, & *cæca per vim & minas incognitorum myſteriorum obtruſio* quid inferat, & futuris annis cauſari poſſit, prudentiores haud difficulter præſagient & tempus edocebit. *Ab unâ enim parte mora acceptationis, ab altera, vis, metus, ignorantia, communis error & coactio litis materiam dabunt: ut hâc ratione Pax Pragenſis vere fax novarum diſcordiarum & pomum Eridos futura ſit.* Hac quidem vice Ferdinandum totali repulſæ exemit, ſed amabo! Proteſtantibus quid profuit? In præſens quidem ipſis (olim liberis) ceu brutis animalibus, ceu mulis & equis capiſtrum indidit, & ſub fucatæ 40 annorum pacis larva abſolutæ Domus Auſtriacæ tyrannidi ſubjecit. Sed quid annis illis elapſis de ipſis fiet! Quamprimum Ligiſtæ repetundarum cantilenam olim reiterantes Ferdinandum mandatum à

ſe ha-

ſe habuiſſe diffitebuntur ? Annon prætendent eum falcem immiſiſſe in alienam meſſem? Annon Proteſtantes multis caſibus idem conquerentur de Saxone ? Ubi tum ex parte Saxonis robur ſufficiens, ſuam partem, numero & viribus minorem contra novos Adverſariorum inſultus defendendi ? Denuò objicis, *Eccleſiam Deo curæ fore, cum tutiſſimum ejus aſylum, non in præſidiis humanis ſed in ipſius Dei protectione ſemper quæratur?* Regero, ſubordinata non pugnare, nec ſe invicem tollere; cum Deus ordinariè per media agat; nec ea, ſi ad manum ſint contemni velit. Nam rectiſſimè Corahitæ Pſalm. 46. *Civitas Dei permanebit, quia Deus in medio ipſius. Deus Iacob protector ejus, &c.* Interim tamen David id pro ſummo agnoſcit beneficio; *Si muri (medium ſecuritatis) Hieroſolymæ reſtaurentur, Pſal. 51. v. penult.* Ut inoffenſo pede incedas, Deus lumen oculorum tibi conceſſit; Hos dum nolis aperire & ſub ſole meridiano vel fronte ad trabem parietemve allidas, vel pede ad lapidem aut foveam impingas, culpa non Dei ſed tuæ ſtoliditatis erit. Oculorum officium Magiſtratus in foro ſoli & poli præſtare tenetur, quippe cuſtos utriusque Legis tabulæ, cui vigilandum adverſus graſſatores & turbatores Pacis Libertatiſque publicè convictos, queîs cum Electori & Statibus Lipſiæ congregatis ſub initium hujus belli negotium interceſſit. Hoc modo apud Hoſeam cap. 3. v. 5. dum de collapſæ Eccleſiæ & Reipublicæ reſtauratione ampliſſimæ promiſſiones exhibentur, Deus populum Iſraelis non ad ſe ſolum, ſed etiam ad Regem ſuum David quærendum remittit. *Ejuſmodi Davides, nutricios & patronos, tempore Tranſactionis Pragenſis, plurimos utrinque habuerunt Pontificii, habuerunt Proteſtantes non uno loco. Nec unquam Domus Auſtriaca titulo Chriſtianiſſimi, primogeniti Eccleſiæ, Catholici; vel Saxo Defenſoris fidei encomio decoratus eſt.* Qua itaque fronte ſemetipſos Patronos & Proviſores generales Eccleſiæ utriuſque conſtituunt? Quibus etiam mediis & viribus Saxo novam tempeſtatem, quæ Proteſtantibus ob bona Eccleſiaſtica denuò imminet, propulſabit, ſi intra 40. annos de iis in ſolidum non conveniatur? Inquis; ea de re cautum, ne pars partem hoc nomine armis invadat, ſed omnia viâ Juris expediantur. O ſimplicitas! ſimplicitas inquam non Pacificatorum callidorum & corruptorum, ſed credulitate deceptorum Pacis Approbatorum. *Tum nimirum canes non amplius vapulabunt, ubi cum prætextibus etiam fuſtes defuturi ſunt.* Si viâ juris negotium finiendum; juxta quas leges decîdetur? an non juxta eadem fundamenta, è quibus infelix & funeſtum illud anni 29. Mandatum pullulavit. Si nihil armis tentandum, latâ

definitivâ nutibus obtemperandum erit. Id niſi fiat, vel omnis tractatuum labor fruſtra ſuſceptus erit, vel arma denuo vix emanebunt. Quænam hic Statibus præſtita non ſecuritas, ſed ſaltem ejus apparentia? Mirum itaque eſt, duos Principes, qui nec cum Imperio nec cum tota Chriſtianitate in comparationem veniunt, tantos ſibi ſpiritus ſumſiſſe, ut de re totam Chriſtianitatem tangente leges ferre auſi ſint. Leges inquam ejuſmodi, quibus gliſcenti malo vix plus remedii accedit quam publicis incendiis affuſo oleo. Quod ſi etiam concederemus Ferdinandum & Saxonem utrinque, ex ſubſequenti ſuæ quemque partis conſenſu Status obligare potuiſſe, haud aliter quam ſi eorum deciſioni ſe acquieturos compromiſiſſent, nemo tamen adeò demens eſt, quin manifeſtè deprehendat, id non ſine maximo diſcrimine, diverſiſſimo eventu & longè diſpari futurâ partium conditione fieri potuiſſe. Quod ſi enim Ferdinandus vel Liga, vel Urbano hoc defuncto, inurbanior aliquis ejus ſucceſſor aut plenipotentiarius (quibus Acta Pragenſia ſtipulæ:) Saxoni aut ejus Adhærentibus denuo bellum ſint moturi, *vix unquam ſecunda vice ei concedent, ut nova propterea comitia Lipſiæ celebret, cæteros Proteſtantes in ſuppetias vocet, ſeque plumis & armis alienis armet & ornet;* quin potius moderni cultus & reverentiæ, quo eum venerabundi nuper proſequebantur (ut ſui ipſius admiratione turgentem, excæcatum & à reliquis Proteſtantibus ſeparatum in naſſam ſuam attraherent) penitus oblivifcentur; eum tandem honorem illi exhibituri, quem ſacerdotes Vet. Teſtamenti *ſacrificiis ſuis ventilatoriis. quæ in angulos omnes agitata, prius in altum attollebant, donec tandem concremanda in ignem projicerentur. Sed utilius fecero ſi aulico hominum generi rem parabola eis uſitatiori & magis perſpicua illuſtravero. Magnates ergo ſordes corporis abſterſuri, ad fœtorem arcendum, frigidæ vulgari roſaticam quandoque miſcent; ſordibus ablutis, roſaticam non minus quam reliquam aquam ad conchas putredinis remittunt: pari honore Auſtriaci Saxoniæ Electorem Pacificatione Pragenſi affecerunt. Fœtebant ipſi domeſticis Imperii & exteris, quia totum fœdaverant Imperium. Ad ſordes has eluendas opus erat ſpecioſo Pilati balneo: ut Statibus exacerbatis utcunque reconciliarentur, Saxonis opera opus erat: roſaticam obtulit Legatus Hiſpanicus, pollubrum exhibuere Auſtriaci Magdeburgum, linteum facientes ex ipſo Electore. Præſtitit iis operam Elector: teſtis eſt univerſa Germania: ſcopum ſuum aſſequantur Auſtriaci, lavacrum ipſi polluent.* Linteum parum honorificè habebunt. Proclive eis erit viam comminiſci, quâ fragrans odor Archiepiſcopatus Magdeburgici, hæreditas 4. præfecturarum, feudumque Luſatiæ in fumum abe-

abeant. Serò Phryges! Ubi vero tum manebit Partium ſuper Religionis ſecuritate contrahentium æquilibrium? Nimirum, aliud erat Anno 1634 & 1635. Leutmaritii, Pirnæ & Pragæ, ex Actis Ratiſponenſibus Anni 1613. Dictatoriâ gravitate *Gravamina Imperii crepare, eorumque abolitionem poſtulare*, dum Proteſtantium Sociorum armis terrere poteramus, (quamvis eis rectè conſulere mens non erat) qui majorem Imperii partem adhuc obtinebant; aliud, impetrato (quod Deus avertat) abſoluto dominatu Hiſpanico ex Cæſareæ Majeſtatis plenitudine propediem mandare & audire: Veſtra dilectio hoc *faciat aut vadat*. Sic non ſuperfutura eſt occaſio, in futurum prolixas querelas texendi de *Mandatis ſine clauſula*, ne denuò augeſcant gravamina priſca Imperii: quæ cum his temporibus collata verè levamina dicere queas, ut *Gravius gravamen* toto Imperio Germanico *nuſquam & nunquam deprehenderis, quam ferreum Ferdinandum duabus & tribus Vnitatibus junctum*. Unde autem tum pendebit Eccleſiaſticæ Pacis ſecuritas? Ubi tunc ceremoniarũ & profundæ illius Reverentiæ cumuli, quâ nunc etiam Miniſtri Saxonici obruuntur? Ceremonias quidem cum ementito Interim ad Patres Vet. Teſtamenti remittere licebit, cura tamen & ſtudium Religionis non prorſus abjiciendum eſt. Sed quorſum abripior? Illene curam Religionis abjecerit, qui ipſam vel ſolus humeris ſuis portare voluit? Petro olim dicebatur: *Tu es Petrus, & ſupra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: ſed alibi ei ſubjungebatur, Paſce meas oves: Mirum ni Saxonici Pacificatores Sedem Apoſtolicam voluerint æmulari, cui dictum iſtud nimium quantum profuit; ne videlicet Proteſtantium Eccleſia capite viſibili ulterius deſtitueretur! Sed profectò, ſi in rebus tam arduis jocari licet, nulla ex cæteris Romani Imperii *Columnis* reperietur, quæ vel præſumptuoſior ſit, vel cui verba melius quadrent. Tu es Saxo, & ſupra hoc Saxum ædificabo Pacem Eccleſiæ At at! non tamen ubivis omnia conſonant. Quod enim iſthic Petro ſoli, id alibi toti Apoſtolorum choro committitur. Quicquid ligaveritis (in plurali) id ligatum erit; quòd videlicet Eccleſia illorum omnium opera egeret: Pari ratione Pacificatores Euangelici, Electori Saxoniæ non ſoli tantum onus imponere, ſed reliquis Imperii Columnis ſuum etiam locum relinquere debuiſſent, quarum unaquæque ſuam portionem potuiſſet comportare: ne robuſtus aliquis Samſon ſuperveniens, duas columnas diruendo, totam ſtruem everteret. Sicut ergò Pontificii Electores Ferdinando occultè cooperati ſunt: nec ſoli Electores ſed & omnis Jeſuitarum

Digitized by Google

ſubtilitas, ut Colonienſium ad Ponta-Muſſanos literæ docent, ita Saxo in graviſſimo hoc totius Eccleſiæ negotio reliquos Proteſtantes eorumque ſocios tam intra quam extra Imperium nunquam debuiſſet ſuperciliosè & contemptim prętcrire. *Nondum enim omnes noctua Dreſdam.* Nec auribus dignum eſt vaniſſimum illud Commentum, propter exterorum in Imperio graſſationes Statibus non integrum fuiſſe Pragæ comparere: Verè autem ibi anguis latet, quod Ferdinandus (Saxone utcunque ſedato) à reliquorum Ordinum obloquio, & Lipſiacorum actionum Recapitulatione ſibi metuebat; & facilè agnoſcebat, novam illam belli adverſus exteros ſub ejus auſpiciis gerendi Tubam pauciſſimis gratam futuram. Denuo dicis: Quid nobis commercii cum exteris? Modo Eccleſiis in Imperio proſpectū ſit; Exteris inde nil magni ſperandum vel metuendū. Regero *Eccleſiam eſſe Vnam copulativam*, quę licet hinc inde per totum mundum diſperſa ſit, fidei tamen & charitatis Unitate ita ſibi invicem cohæreat, ut bona vel mala ejus, omnia membra communiter, tam intra quam extra Imperium afficiant. Nec quiſquam adeo moroſus futurus eſt, ut diffiteatur *Prærogativam* (non juriſdictionis aut dignitatis ſed) *ordinis inter Eccleſias Chriſtianas Romano Imperio deberi, quippe Reipublicæ Chriſtianæ primario capiti*, cujus Auſtria æquè ac Saxonia vix tantilla pars eſt. Quemadmodum autem capitales morbi non ſolum periculoſiſſimi ſunt, ſed & facilimè ad reliqua corporis membra transplantantur, ejuſque totam fabricam afficiunt & deſtruunt: ſic nemo non agnoſcit, florentem vel calamitoſum Eccleſiarum Imperii ſtatum, cum exteris Eccleſiis tantam conjunctionem habere, ut temporalis ſalus & conſervatio unius ab alterius ſalute non exiguam partem pendeat. Nam & hoc paſſu

Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.

Judicent hic ſapientes quid boni ad Eccleſiam Euangelicam inde redundare queat, ubi de ſumma rerum Euangelicarum ejuſmodi Princeps decernit, de cujus ipſius Conſcientia ejuſmodi homo diſponit, qui non pecuniis ſolum Hiſpanicis ditatus, ſed & ampliſſimis titulis ab Auſtriacis elevatus eſt? An quinto hoc Euangelio dictæ Pacis, plus vitæ an pituitæ à duobus illis capitibus ad Eccleſiam utrinq; profectum ſit, eventus edocebit. Duumviratus enim iſte primū hoc vitii infert, quod Senatum & Comitia Imperii, Collegiatamque Electorum operam, partim tollit, partim omni ſua autoritate privat: Quamvis enim Epilogus Decretorum Pragenſium proteſtetur hunc procedendi modum in nul-

Digitized by Google

in nullam futuris temporibus Conſequentiam trahendum; tantum tamen inconveniens cũ ratione Bohemici & Palatini negotii dum ratione abſoluti LXXX legionum arbitrii,& illigatæ Juriſdictionis Cæſareæ jus introductum eſt, ut libertas communis publicorum Conciliorum in futurum quoque verè ſublata ſit. 2. Obliquè ipſa decreta Pragenſia evertit; dum propediem alter Duumvirorum altero major, & exlex eſſe cupiet, pacta Pragenſia non pro contractu ſed lege pragmaticâ habiturus,qua Auguſtus & Auguſta non teneantur.Inde proveniet(niſi nix inſperata deſuper interciderit) ut alter Duumvir brevi ſolus futurus ſit Dictator, Conſul, Pontifex, Monarcha ; & in uno omnia; viciſſim Saxo, Electores, principes, & ipſe Papa Urbanus pediſſequæ. Tum nimirum Abſoluto rerum Arbitro proclive erit ejuſmodi Religionem præſcribere,quæ licet non ad cœlos ducat, populis tamen ſub cœca obedientia & diræ Inquiſitionis peſſulis continendis, inſerviat;& paulatim Pſeudo-Clero utramque feneſtram denuò aperiat, ad Principes ipſos priſco more pedibus conculcandos.

Secundò, leve forte cuipiam videri potuiſſet,Eccleſiam (uti hactenus comprobatum, ſuis præſidiis orbaſſe, & ad fragile duarum familiarum filum appendiſſe: Id autem intolerabile eſt, quod Pacificatores eandem, impiâ & deteſtabili in propriam Matrem ingratitudine, continuis periculis & bellis nunquam intermorituris ſtudio & quaſi data opera objiciunt: Tantos enim Pacificatores ſpiritus ſibi ſumunt, dum ſecuritati Eccleſiæ conſulere debuerunt, ut in hac decrepita Romani Imperii ſenecta,& tantum non deſperatis extremitatibus cum Gygantibus cœlum oppugnaturi & Jovem inde deturbaturi videantur. En ipſorum Conſilia, in ſempiternam Eccleſiæ fluctuationem prono curſu tendentia. Leoninâ enim hac Pace Statibus Imperii obtrusâ (quotquot illorum ex Amneſtiâ, libro illo vitæ,non excluſi erant) tum demum ſumma imis,cœlum terræ & Acheronti miſcere,& exteros ad internecionem delere commodum viſum eſt.En fructus Pacis! de novo 80.Millium exercitu rationes initæ! Quo fine? Ad Socios Proteſtantium delendos.Allego verba Decreti formalia. So lang ſol nicht geruhet noch geſeuzet werden/etc. hoc eſt, tam diu bellorum neque finis neque modus eſſe debet,donec exteri occupatas Imperii portiones reſtituerint: Heroica reſolutio: Exterorum imitatione digna: Quod ſi nec illi quieſcerent donec Ferdinandus III. oppreſſis Statibus German. & Bohemiæ libertatem reſtituere, titulos reſignare, Auſtriâ ſe contine-

 nere;

nere: vel ſemitam Caroli V. Oenipontinam relegere cogeretur. Nudetur Milvus alienis Aquilæ pennis, Leoni & Gallo inſultare ſuperſedebit: Quibus modo fretus: *Pacem ſine requie Statibus promittit:* juſtiſſima Proteſtantium arma callido conſilio à ſe avertit, nomine Pacis omnibus imponit: graviori interim bello Euangelicos ſecum invicem & cum exteris Principibus Germanicæ libertatis cuſtodibus committit. Nec prætextus ei deeſt: *occupata Imperii provinciæ reſtitui debent, nominatim Lotharingia:* ne citra omnem ſpeciem titulo *Auguſti* uteremur. Rectè quidem, ſed cur non mentio facta eſt Ducatus Mediolanenſis, Regiæ Boruſſiæ, Aquiſgranii, Juliaci & aliorum locorum? Quia nimirum quicquid Auſtrio Hiſpanizantibus commodum idem & juſtum, è regione legitimæ aliorum prætenſiones meri ſunt ad ſolem volitantes atomi. Scilicet tribus ſeſtertiis neceſſarium hoc bellum Proteſtantibus, Gallis, Suecis, aliiſque conſtitit, ut non attentâ ſumptuum ratione ad ſolum nutum Duumviralium Dictatorum quaſi flexo poplite, locis occupatis cedere debeant: Id niſi f. cerint, nunquam bellorum finis futurus! *Cajaphas* olim *ignorans* de fructu paſſionis Chriſti *veritatem prædicebat*. Fallor niſi idem noſtris Pacifi. atoribus circa fabricam & promulgationem ſuorum Decretorum eveniet: Tam diu videlicet belli hujus finem non fore, donec ſuo quidem tempore exteri occupata loca, accepta æquabili ſatisfactione non Ferdinando, ſed Imperio reſtituant. Verùm & reliquias oppreſſas, uſurpatoribus injuſtiſſimis ereptas priſtino ſtatui prius reſtituant, ut omnibus in univerſum, qui è *Pacificatorum Libro vitæ* deleti ſunt, tandem conſulatur: oppreſſo videlicet & in ſervitutem redacto, partim etiam vendito Regno Bohemiæ & incorporatis provinciis, Electorali ſuperiori & inferiori Palatinatui. Archiepiſcopatui Trevirenſi, Spirenſi, integro Principatui Haſſiaco-Marpurgenſi, ſemivincto etiam Ducatui Brunſvicenſi: Wirtenbergico: Auguſtæ Vindelicorum: Werdæ ad Danubium, & aliis minorum gentium Diis, quorum lumina Vulcanus Pragenſis extinxit. Major eorum catalogus eſt, quàm quem præſens pagina ferre poſſit: Sed videamus illos tantum, quibus irreconciliab le iſtud bellum à Pacificatoribus decretum eſt: Probè ſciverunt lucem à tenebris diſcernere: eoque duplicem Excluſorum ſeriem conſtituerunt: Quidam enim ipſis peccaverunt *venialiter*, quidam *mortaliter*. Illorum *ſeſquiulnale Regiſtrum Bullæ Pragenſes ſeorſim condiderunt; quibus venia primum denegata, ejus tamen ſpes reliqua facta, non quod commiſſi aut omiſſi ratio haberetur, (altioris enim myſterii conſideratio latebat)* *ſed*

ſed ut Ferdinandi collapſa ſuperioritas denuò agnoſceretur: id dum prudentiores non niſi coacti facturi videbantur, ſegregatione opus erat, ad fœdus diſſolvendum: Saxone ergo vel ob ſolam Sociorum deſertionem reconciliato, excluſione quorundam opus erat, ut recipiendi & ſuperioritatem exercendi materia non deeſſet; tum, in honeſta & imperata libertatis defenſione culpa fingenda, ut venia petendæ; ea petenda, ut concedendæ locus daretur, & interim Deprecatores pro publicæ Libertatis defenſoribus ſeipſos ut læſæ Majeſtatis reos ſiſterent, Ferdinandi priores exorbitationes juſtificarent, cauſam publicam & ejus defenſionem, cum exteris confœderatis apud ſimpliciores quibuſvis figmentis exoſam vel ſuſpectam redderent. Ecquis ejuſmodi Laicis Ignorantiæ fratribus, tam pronis ad deprecandum ex innatâ lenitate non condonaret! Sed longe alia ratio eſt *mortalium* peccatorum, quibus ſpes veniæ præciſa: Hi ſunt, quicunque Auſtrio-Hiſpanorum abſolutum dominatum vel rigidius oppugnarunt, vel ad Leges Imperii fundamentales paulo arctius quam alii reſtringere voluerunt. Suntque *domeſtici Romani Imperii vel exteri.* Imperii *domeſtici* ſunt omnes ii, qui Bohemicorum motuum quodammodo participes facti ſunt; ſive Bohemi, ſive Palatini, ſive Magiſtratus ſive ſubditi, ſive heri ſive miniſtri fuerint. Et mirum miniſtrorum etiam Palatinorum mentionem factam eſſe, cum *prætor*, ut in proverbio, *minima non curare ſoleat.* Sed facile ſubolet id à Lupi verſuto ingenio in eorum gratiam ſuggeſtum, qui Dn. Comitis Solmenſis p. m. moderni Principis Auraici ſoceri ditionem ſive jure ſive injuria ex Bohemicis manubiis jam pridem reportarunt. Præter hos ipſi hæredes Electoratus Palatini in linea recta ad infinitum ab hac Pace excluſi: quemadmodum ipſorum Agnati ab Electorali ſucceſſione; cum tamen ſub tranſlationis initium, ad Saxonis & Brandeburgici conſenſum emendicandum Ferdinandus longe aliud promiſerit. Nimirum Si *Auguſtus & Auguſta non tenentur legibus*, Dictatores Pragenſes iiſdem legibus gaudere debuerunt, ut ex poteſtatis plenitudine è curvis recta, è rectis prava facere poſſent. Nominatim Saxonici multum ſibi ipſis diſſimiles hic facti, cum enim prioribus annis diverſis vicibus ad Electoratus tranſlationem in Bavarum ſolemniter proteſtati eſſent, ne ipſius inveſtituræ intereſſe vellent, ne tantæ injuſtitiæ patrocinari viderentur; jam ſoli tantam dignitatem aſtu Auſtriacorum adepti, de ſumma totius Imperii cum iis decernunt, & inſigni Eliſionis Poëticæ Licentiâ ante Collegiatam ſibi Palatinam Familiam eradunt. Citra hanc enim licentiam, nunquam Palatinis Agnatis præripere potuiſſent, quod ipſimet prioribus annis eis adjudicaverant. Nimirum

Digitized by Google

mirum *privatis* Saxonis & Ferdinandi *Comitiis*, novũ in Imperio *cuditur jus publicum* & de Capite fortuniſque non ſolum plurimarum Illuſtrium familiarum, ſed ipſorum etiam Vicariorum Imperii ſtatuitur. Sed neſcit regnare, qui neſcit ſimulare: Hinc totalis Agnatorum Palatinorum Excluſio ſub Tranſlationis initium diſſimulanda, & huc uſque protelanda fuit. Sed enim! quid prodeſſet Palatinis ea dignitas, quâ ex Auſtriacorum Politicâ nunquam commodè uſi fuiſſent. Colluſiſſent cum Auſtriacis in Imperii pernitiem, acceptiores quoque fuiſſent; ſed ſi *Vexatio tandem dat intellectum*, erit quoque, erit inquam ut modernus Elector Palatinus, Pacificatorum ſtimulis irritatus; triſti Portugalliæ Principum exemplo commonefactus, & miſerorum ſubditorum gemitibus & preſſuris excitatus, tandem quoque vacante jam Imperio evigilet, Electorali ſua dignitate & Vicariatus autoritate utatur; idoneum principem exterum, Imperatorem ſalutet, dignitatem Electoralem, qua ſe cæteri plerique manifeſtis corruptionibus ipſi privarunt ejuſmodi Principibus Chriſtianis offerat, qui tam propria cujuſque, quam communi univerſorum potentia, intemperiem Auſtrio-Hiſpanicam domi foriſque firmius cohercere, compedeſque ſervilis jugi Wolfenbüto, Philippoli, Ratisbona, aliunde amoliri, & univerſalem ſecuramque Pacem reducere poſſint. Ecquo Pacificatores titulo & nomine ipſum ea de re accuſare poſſent? An leges contra illum allegare; an illum legibus alligare cujus Dn. parentem contra leges inauditum condemnarunt & proſcripſerunt, totamq; ejus proſapiam (ſi vel maximè D. Parens delicti convictus fuiſſet) contra divina, humana, naturæ, gentium jura, conſtitutiones Imperii, quin & propriam ſuam declarationem ab Electorali ſucceſſione removerunt: Dn. Dn. Aviam Matremque nulla ſanguinis reverentia, nullo innocentiæ reſpectu, in æternam Angliæ Regis, ut & aliorum conſanguineorum ignominiam jure dotalitio, tygrica crudelitate privarunt, provincias ejus tanta barbarie, furore & tyrannide oppreſſerunt, ut major deſolatio ne ab ipſis quidem Turcis & Tartaris unquam proficiſci potuiſſet. Ingeminatis, Fratrem Friderici, Bipontinum, & ſi qui alii ſuperſunt, ob colluſionem cum Suecis, ſe priori declaratione ſuper Electorali ſucceſſione, indignos reddidiſſe, ideoque ſpes omnes emergendi iis his decretis præcidendas fuiſſe, dum in Anglia Organorum Hiſpanicorum operâ cuncta adhuc tepebant, & inteſtinum aliquod incendium minabantur. Reſpondeo: Commode id quidem, & è re Domus Auſtriacæ, *ſed ex eodem*

fonte

fonte Saxonem præ omnibus Electorali dignitate privandum fuiſſe, qui Proteſtantes Lipſiam convocavit, primus ſe Sueco conjunxit, Sileſios ambigentes (quod lubricum ejus ingenium ex ſuperiorum annorum Commiſſionibus plus ſatis agnoviſſent) *vel invitos ad fœderis conſortium adegit.* Quid ergo aliud reſtat, quam ut fateamur; Dictatores verè dictatoriè egiſſe, neque fas aut jus, aut aliquam ejus ſpeciem, ſed merum cerebri ſui arbitrium præ oculis habuiſſe: nimirum,

Sic volo ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas!

Quod ſi interim Angliæ Regis patientia toties læſa, toties illuſa, tandem in furorem verteretur: Quod ſi inquam Deus juſtiſſimus ille Iudex, qui reges conſtituit & deſtituit ex numeroſa Palatinorum familia, quam Dictatores perpetuo exitio & exilio devoverunt, novos Fridericos Victorioſos (Böſe Fritzen) Caſimiros & Philippos, & tandem ex ſurculis hic non minus quam olim in Belgio arbores excitaret, ad quos funditus extirpandos Pacificatores non ipſi ſolum conſpirarunt, ſed ex ſuo præſcripto univerſum etiam Imperium obſtrictum voluerunt, an non peſſimo ipſorum Conſilio, innocentes Imperii Status, continuis Excluſorum infeſtationibus exponerentur? Longè aliter egit Carolus V. (facti recordatio Vinatienſium memoriæ nondum credo excidit) Is Electorali dignitate ad hanc familiam tranſlata, innocentiſſimis hæredibus non ſolum bonam terrarum partem, & decentem ſuſtentationem conceſſit; ſed novum quoque Electorem aſtrinxit, ut juſtam æris alieni partem ab iis in ſe derivaret: ibi ſufficiebat Electorem loco movere; non quod malè egiſſet, ſed quod infeliciter pugnaſſet, Hæredibus de condignâ ſuſtentatione proſpiciendo paci publicæ conſulebatur. Generoſior erat Caroli mens, quam ut Provincias ſibi raperet, & proprio commodo conſuleret. Hodiernum jus vis. Æs alienum apud Bavarum contractum manubiis Palatinis diſpungendum fuit. Faucibus *Lupi* (Dr. Wolff) Darmſtatini ſua quoque portio tam diu objicienda, ut is interea Saxonem pacaret, donec Ceſſione Luſatiæ ipſe quoq; ſedaretur. Sed malum conſilium conſultori peſſimum. *Pharao Iſraëlem calliditate ſuâ deleturus mira Dei providentia Moſen ipſius educare cogitur, à quo pares ipſi vices rependerentur.* Nec Dei aures hodie ad gemitus oppreſſorum occalluerunt: neque Domui Palatinæ, ſummis Regibus neceſſitudine multifariâ conjunctæ, tam penitus alæ conciſæ ſunt, ut nulla organa, nulla media ſuperſint de injuriarum vindicta & amiſſorum recuperatione cogitandi. Licet namque in Angli

gratiam,qui omnia prius quam bello experiri maluit, hactenus mitiora conſilia ſectati ſint; non tamen ideò Anglus & alii potentiores ipſorum Conſanguinei vel Illi ipſi in æternum ſibi illudi patientur,ſed Deo juvante viam & occaſionem invenient ſibi & miſerrimis ſubditis, tam corpore quam anima oppreſſis tandem conſulendi. Ex tot filiis Iſai unus adhuc David prodibit. Cæteris è regio ſanguine natis (ſi plura non poſſint) ea media nunquam defutura , ut more Marchionico aut Mansfeldico ſuos Oſores flagellent : Quibus interim periculis Ditiones Imperii , cum primis finitimorum Epiſcopatuum ob Auſtriorum dominandi libidinem expoſitæ ſint , olim conſpicietur. Quamvis autem Pacificatores à Palatinis ſibi non magnopere metuendum,& Anglicanis Reſolutionibus antiqua ſua remedia opponi poſſe judicarint, *quod Lupos terreſtres in Anglia non naſci ; marinis portus & portas hactenus ibi patere ſcirent*: reliquus tamen *Excluſorum* numerus eis formidabilior extitit , à quo ſibi plus itidem in futurum præcavendum agnoverunt. Hi ſunt *Rex Galliæ* & *Regina Sueciæ*, eorumque Adhærentium adhærentes in milleſimam generationem. Is donec *Lotharingiam* ; hæc *Pomeraniam* & quicquid in Imperio obtinent, reſtituerint ex Decretiſtarum mente, bellorum finis nunquam futurus. Hem mitiora verba! Itane Pacificatores ſupprimere potuerunt quam ob cauſam exterorum Regum ſocia arma Imperio illata ſint? *Licuit Ferdinando & Hiſpanis ad libertatis oppreſſionem,contra Receſſus Imperii peregrinum militem,magno numero, quoties libuit rebaptizare; & ſub Cæſareo nomine Hiſpanos,Maranos,Hungaros, Polonos, Croatas, Dalmatas, Italos, & tantum non Diabolos incarnatos adverſus innocentes Imperii Status Federatique Belgii Ordines in ſuppetias accerſere : Idem licet ex Decretorum tenore Ferdinando III. ſub ſpecioſo titulo Sancti Imperialis exercitus.* Es ſol alles des Römiſchen Reichs Armada heiſſen ; *E regione Proteſtantibus id non ſolum illicitum , ſed eorum quoque Auxiliatoribus noxium & capitale eſſe debet.* Num ita penitus obliviſci potuerunt,æquitatis & belli ſumptuum? Si Bavarus triobolares expenſas ratione Danubio-Werdæ prætendit; id ſummo jure tabulis inſerendum fuit ; ſi Gallus , ſi Anglus, ſi Sueci : ſi Palatini & Proteſtantes uſque ad medullam Contributionibus Thyllianis & Fridlandicis, Gallaſio-Gôzenianis exhauſti , Millionum millionem allegent,ſurdo fabula narratur. Nimirum ex parte Saxonis ſtudium privati commodi,& (ex Hiſpanorum ſuggeſtionibus) Electoralis Dignitatis lubricitas; ex parte Ferdinandi Livor & imaginaria à *malo die* immunitas Pacificatorum oculos excæcavit, & eo dementiæ abripuit,

ripuit,

ripuit,ut exteros Reges minis eorum, non minus quam fractos Imperii ordines, conceſſuros putarint. Niſi Auſtriaci hoc loco mirè potuerunt ſimulare & diſſimulare, non dubitem quin conſilia moverint. De Mediomatricibus, Buda & Breda uno rictu ictu & actu recuperandis. Cujuſmodi Propoſitio de Belgis, annis ſuperioribus in medium quidem ſemel & iterum allata, ſed ab Electoribus exploſa eſt. Ut ut ſit, Tabulę Pragenſes non verba, non minas, ſed ferrum & ignem *& octoginta millium exercitum* cum exteris committendum ſpirant. Superfluum eſt, Pacificatores tantum laboris in fabricanda, conſignanda, recudenda & promulganda ſua Tranſactione ſumpſiſſe. Suffeciſſet unius hujus paragraphi executio, accepiſſet modo Ferdinandus ſua LX. & Saxo ſua XX. millia, & reliquo Pacificandi labore ſuperſedere, nec minus tamen unâ cum Palatinis Gallos, Suecos & eorum Adhærentium Adhærentes exturbare potuiſſent: Sed noverunt exteri, *Vanam eſſe ſine viribus iram*: Noverunt, *militem in Chartis* Pragenſibus *citius auctum quam campis*. Id nimirum Auſtriacis ſuboluit: eaque propter, ſive Proteſtantes ipſi, ſive eorum Socij exteri oblata Decreta acceptaturi fuiſſent, ſive non, Saxonem tamen obligatum voluerunt, ad opem eis ferendam. *Dum in dubio relinquunt cæterorum Proteſtantium conſenſum. Unius Saxonis corruptione ſe contra imminentem univerſalem Domus ſuæ ruinam & totalem ab Imperio repulſam præmunire voluerunt*; neque id ſatis, ſed quod ſuperioribus annis magnam Ipſius apud Proteſtantes, inprimis Urbes Imperii autoritatem fuiſſe ſcirent, ideo ſub ejus nomine & exemplo Lutheranos ſimul omnes cum Suecis Lutheranis; Romano Catholicos ad Rhenum cum Rege Galliæ Catholico committere oportuit; cunctis Imperii Ordinibus ad ſociam manum admovendam prius obligatis, ut Ferdinandus interim ſe recolligeret, imminenti ſui Repudio obviam iret, in acie novaculæ conſtitutum axioma Imperii ſibi & Domui Auſtriacæ confirmaret, nec tot annis Madriti agitata conſilia nimium obnitendo prorſus everteret, ſed tempori paulatim cedendo nihilominus tamen effectui daret & cunctis ab invicem ſeparatis, ſenſimque tam domi quam foris debilitatis, tandem prævalere poſſet. Sed quorſum hæc tam prolixa extra oleas digreſſio? Ut nimirum pateat, omnes eos qui juſtiſſimo hoc bello tyrannidi Auſtrio-Hiſpanicæ ſeſe oppoſuerunt, & juxta Decreta Pragenſia iiſdem ſuperficialiter reconciliati ſunt, unius Saxonis ſeductione, citra ullam juſtitiæ ſpeciem, tantum ad injuſtum aliorum Dominatum confirmandum, ad interne-

cinum bellum exteris regibus inferendum obligari. Dico citra juſtitiæ ſpeciem. Certet *Ferdinandus & nova ejus creatura* Bavarus, cum exteris Regibus pro novis ſuis titulis: ſed certet intra proprios aut exterorum limites: in Statuum ditionibus militem ex præſcripto Conſtitutionum Imperii alat: annonam ſolvat: damni cautionem ante tranſitum præſtet: boni paſtoris officium faciat: citra fidei-commiſſarum ovium noxam privatis ſuis rebus conſulat. Si læſerunt Gallus, Suecus, alii, propriis ſuis (non Imperii) copiis ſe defenſum eat, reliquos Ordines innocentes turbis ſuis non implicet, quos nulla ratio inducit, ut quicquid ad decus & libertatem Imperii conſervandam habent & poſſunt, id omne ad ſtabiliendam tyrannidis unius Familiæ & ſui ipſius oppreſſionem & amicorum fideliſſimorum offenſionem impendant. Habeant feuda ab Imperio; ad Imperii decus & libertatem Imperii beneficia convertant. Quod ſi Imperium & Magnitudo Auſtriaca idem ſunt; quin Ordines priſcæ libertati repudium mittunt, Auſtriam cælo, ſeipſos in ſterquilinio locant, non ab Hiſpanis ſolum ſed & propriis amicis conculcandos, ut Aquila tantò tutius prædari poſſit, dum reliquâ avium turba invicem digladiatur. Et dic mihi quæsò, quid commiſerunt hi Reges in oppreſſos Imperii Ordines, cujus cauſa hoſtiliter ab eis perſequendi ſint? Num bonum malo illis rependendum? Num illi cauſæ injuſtæ unquam patrocinati ſunt? Minimè inquam gentium: quod nec ipſe Ferdinandus ſua Tractatione Pragenſi diffiteri potuit, dum ad pleraque Saxonis poſtulata pro tempore ſolùm quodammodo viſus eſt condeſcendere & æquitati cedere. Sed in eo fortè deliquerunt, quod poſtquam Saxo ſcopum belli, firmam, ſecuram communemque Pacem ſi Diis placet! aſſecutus ſit, illi bello non neceſſario juſto diutius inhæreant? Neque hoc: manet enim, exteris præſidiis præputatis, una eademque juſtiſſima belli cauſa; non preſſura ſed oppreſſio atque proditio publicæ Libertatis, & confirmatio dudum quæſiti abſoluti Dominatus, ut fuſius infra, ad quem oppreſſoribus confirmandum miſeri Proteſtantes obſtringuntur, non ſolum ut fideliſſimos ſuo Socios & propugnatores deſerant, ſed & cruentiſſimum bellum offenſivum iis inferant? Quænam hic æquitatis ſpecies? Ferdinandus II. totum expilavit Imperium, ut Principibus hac tranſactione depauperatis, Magnitudini Auſtrio-Hiſpanicæ obex poni nequiret: eoſdem fulcris externis pariter privat æs alienum non parvi momenti apud Saxonem & Bavarum contraxit, quod omne bonis Imperii,

perii, Luſatia & Electorali Palatinatu diſpunxit. *Tantam ſapientiam nec ipſe Magiſter Noſter Ortuinus Gratius*, *nec Reuchlinus in ſpeculo ſuo morali, vel ipſius Platonis Idea deprehendiſſet* ? Omnes itidem angulos Germaniæ latrociniis atque *abominatione deſolationis* replevit : *pro eo videlicet Ordines Imperii flexo nunc poplite gratias agere, & ad Ferdinandum III. defendendum exteris ſe dilaniandos objicere debent : eodem exitu, quo ranæ homagium præſtabant novo regi.* Atque iis quidem ipſis dilaniandos, qui ſanguine, fortunis & quaſcunque res in mundo pretioſas habuerunt & habent, non pepercerunt, ut collapſam & jacentem ſacram & profanam Ordinum Libertatem in integrum reſtituerent ? Devorari & hoc malum poſſet, niſi ſtatum Religionis in Imperio jam ante quaſſatum denuò everteret. Abſit hoc inquis ? At inquio : *Dictatores temeraria hac belli clarigatione omnem Religionis conſervationem, contra priſcam Romani Imperii praxin non publicis legibus Imperii, ſed belli cum exteris gerendi juribus alligaſſe.* Nemo autem ignorat belli jura uni æque atque alteri belligerantium parti competere. *Quod ſi ergò (ut fortuna belli volubilis eſt) vel Gallus vel Sueci vel Anglo-Palatini, vel quartus aliquis, qui ſe denuò iis conjungere poterit, victor evadat, tum omninò actum erit de Pace Religionis. Neque exoſi hujus Decreti Pragenſis ulla habebitur ratio, quinpotius victores pro lubitu ſuo, ut eis commodum videbitur, de Religione conſtituent.* Concedat ergò Celſiſſ. D^na^ Vidua Caſſellana ad partes Auſtriacas, & odioſam illam feſtucam ab oculis hoſtium removeat, quæ copiarum Ligiſticarum in ſuperiori & inferiori Germaniæ conjunctiones, & nova Agrippinenſium in circulo Weſtphaliæ diribitoria vel ſola cohibere poteſt, reliquum tamen bellum aut armis aut tranſactione tandem conſopietur. Quod ſi armis, aut Auſtriaci vincent aut exteri: ſi Auſtriaci, illicò canon Hiſpanorum communis contra Domum Caſſelanam allegabitur : *Promiſſiones rebellibus ſubditis præſtitas non obligare*: ſi exteri, Religionis Status jam pendebit à jure belli : quod ſi per tranſactionem bellum ſit conficiendum, dubito an Ferdinandus ullum ex Proteſtantibus ad tractatus ſit admiſſurus, quamvis enim vel maximè de ipſorum agatur corio, attamen dum Electorale Collegium ad faſcinum Tranſactionis Pragenſis ſemel convixit, ſuumque munus circa pacis & belli hujus Arbitrium, (quod non unum aliquod membrum, ſed univerſum Imperii corpus concernit,) neglexit, nullum relinquitur dubium quin Ferdinandus deinceps, tanquam abſolutus Dominus ſolus pro lubitu de ſumma rerum decernere velit. Neque Status reconciliati propria ſponte ſe poterunt ingerere:

 non

non reconciliati ***Salvum conductum æquis conditionibus non prius obtinebunt,*** *quam neceſſitas id Ferdinandum jubeat: Hoc enim publicórum Comitiorum ſpeciem referret, quæ mixtum Imperium ſapiunt, ubi Duumviratus Prag. ſub incudem revocari poſſet & Dictatoribus utrinque plus legis quam Euangelii ſperandum eſſet.* Quicquid ergò eo caſu de Religione & Republica conſtitueretur, *Proteſtantes ubique zyphræ vices obtinerent, quæ per ſeipſam nihil, aliis numeris addita, tantum valet quantum receptivitas recipientis ſui permittit.* Atque hic cujuſvis generis & conditionis homines judicare jubeo, an ab illo tempore, quo controverſiæ de Religionis negotio excitatæ ſunt, Eccleſiæ ſtatus unquam tanta temeritate, tanto cum periculo, tantis mutationum extremitatibus objectus ſit? Hic mihi ipſe fatere, annon priſcam Romani Imperii dignitatem, Libertatem, Harmoniam & praxin indigniſſime proculcatam flentibus oculis intuearis, gementibus ſuſpiriis deplores? Finalis enim præſentis belli victoria nullo divino oraculo Dictatoribus compromiſſa eſt, ut circa punctum Religionis, neceſſario Decretis eorum ſtandum ſit, ſed ipſa (Laus Deo) experientia ipſos convincit, Proteſtantes eorumque Socios æque vincere atque vinci poſſe. *Quomodocunque ergò illi victores evadant, ſive conjuncti, ſive ſegregati, tibi utut ſis Catholicus, Lutheranus, Reformatus, non amplius ex publica Pace Religionis, ſed ex arbitrio victoris ligata vel libera manebit conſcientia, & omnis Religionis Autonomiæ ſecuritas (ſacra illa Germanici Imperii anchora) dubiæ exterorum indoli objicitur.* Heus Dictatores Religioſi rem Religioſam admodum curaſtis Religiosè! Donec interim bellum conficiatur ſemper de Proteſtantium ludetur corio. Incorrigibilem, quod doleo, errorem hic errarunt Proteſtantium Calendariographi, quod citra R. Pontificis conſenſum Beatum *Lutherum in numerum Sanctorum retulerint*, id præmii inde laturi, quod ad ejus aras, Matutinas, Veſperas, & Completorium, devotionis ergò plures ſemper Quartiriorum Magiſtri convolaturi ſint quàm ad Feriam Martini Papæ aut Epiſcopi. Malè omninò Pacificatores hic conſuluerunt iis animabus, quæ tum in Imperio, tum Regno Bohemiæ, toties iteratis Religionis mutationibus obnoxiæ ſunt: quarum conſcientiis ſi medelam afferre deberent, eas credo ad nigrum illud Pontificum Euangelium, TV VIDERIS, & conſequenter cum Juda ad reſtim confeſtim remitterent. Æquius eſſet ſi, quod annoſiores ancillæ factitant, imitari juberentur, quæ ad Religionis profeſſionem admonitæ, prudenti conſilio utramvis eligendi facultatem tamdiu ſibi liberam relinqui volunt, donec videant cui nupſerint. Pari ratione Pacifica-

Digitized by Google

cificatores ex utraque Religione,ut infra docebitur,Protheum facientes,de neutra certi quippiam conſtituere voluerunt,nec potuerunt,ſed dum mundum novis bellorum cum exteris gerundorum incendiis oppleverunt,ſtatum ejus ultimorum victorum arbitrio permiſerunt. *Hic interim multiplici patientia ſanctorum opus eſt.*

Tertio: Pacificatores articulum fidei *de communione Sanctorum, compagem illam & nervum Chriſtianiſmi* prorſus è medio tollunt: cujus vigore nemo Chriſtianus ſibi ſolùm,ſed pro virili omnibus hominibus,cumprimis fidei conſortibus, & corporis & animæ ratione quam optimè ſemper cupere debebat. Pulcherrimè id Pacificatores ab utraque parte,deliria *Regum* in miſeris *Achivis* plectentes,quos & corporis & animæ ratione ineffabili numero enecant. *Animæ ratione*,dum Saxo ceu œcumenicus Proteſtantium Epiſcopus,Lutheranos in Bohemia,Moravia, Sileſia, Palatinatu, Auguſta Tiberina & Vindelicorum, comitatu Königſteiniano: Reformatos Palatinatu, comitatu Yſenburgico, Naſſovico,Solmenſi aliiſque locis,ex abſoluto decreto à ſuarum Eccleſiarum communione reſecat. Reformatos benè multos Lutheraniſmo, Lutheranos infinitos Papiſmo denuo objicit: eoque ipſo eos omnes & ſingulos vel Suæ propriæ fidei conſortio,vel Seipſum illorum communione indignum efficiens.Qua de re in terris hic Eccleſia, in cœlis illic Deus judicet. Paulus vetat ad Rom. 15. *Fratrem pro quo Chriſtus mortuus eſt,cibo vel minimum offendere.* Pacificatores Saxonici non offenderunt ſed everterunt,non fratrem unum,non fratres aliquot,ſed ampliſſimarum provinciarum florentiſſimas Euangelicorum Eccleſias, easque magno numero: pro unica polenta Eſavitica, Archiepiſcopatu videlicet Magdeburgico. Ubi Dictatores Saxonici Principi ſuo propriâ ejus ſiniſtrâ dextram (interceſſiones præfatarum Eccleſiarum) & cum iiſdem omnem Dei benedictionem præciderunt. Nec felicius Decretiſtæ Auſtriaci. Hæreſin quidem, (ſua opinione feliciter) tota Bohemia & Elect. Palatinatu extirparunt, ſed zelo maximè intempeſtivo Diploma reſtitutorium bonorum Eccleſiaſticorum, verum illud pomum Eridos,ad rancidam ſuggeſtionem Suickhardi Moguntini in Comitiis Imp. anni 1613, tandem anno 1629 Ferdinando extorſere, & cum infelici illo Mandato omnes has turbas dedere, non attendentes, in libero Imperio, ſub tantis revolutionibus *moderationem tutiſſimam ubique conſiliorum gubernatricem eſſe.* Id nimirum aſſecuti, quod tantam Domui Auſtriacæ invidiam domi foriſque conflarint, ut Ferdinandus III. legitima Ele-

ctione

ctione ſui exciderit: ut infrà & de totali Repulſa periclitetur: præterea quoque juſto Dei judicio excæcati, crudeliſſima illa Euangelicorum ejectione juſtam in futurum talionis pœnam in ſe quoque provocarunt. Hæc nimirum eſt regia & egregia illa Pacificatorum via, bonam quam vocant, *Confidentiam* in Imperio reſtaurandi. *Corporis ratione* miſeros *Achivos* enecant, dum in ſpeciem quidem jus emigrandi eis concedunt, odio tamen Religionis, emigrantes non prius dimittunt, quam omnibus mobilibus ſuis denudati ſint: tum adhuc immobilia decuplo majoris æſtimantur quam vendi poſſint, quorum decima pars ære præſenti exolvenda, fundis ipſis cum eorum fructibus nihilominus in manibus raptorum relictis, ut non tam homines quam umbras eorum in triſte exilium remittant. *Hoc acquirendi modo ſi lictoribus Belgicis uti liceret, ex ſola diſſipatione clandeſtinorum conventuum Pontificiorum facilè diteſcerent: quin ipſi quoque Ordines federati generales non minus quam Rex Angliæ ex ſola hac Pontificiorum ejectione, vel leniori ſaltem cribratione militem ſuum alere novumque Palatinatum condere poſſent. Sed nemo præter Pacificatores in Religione zeloſus.* Et quid Sanctorum communio ad ipſos? qui Religionem in ore quidem habent, ipſo tamen facto demonſtrant, ſibi quoque veriſſimum illud eſſe, quod olim Legatus Ibericus Conſuli Helvetio *caſu quodam politico Scripturam alleganti* reſpondebat: *ea nunc eſſe tempora, quibus Rationem Status non ad Biblia, ſed Biblia ad Rationem Status accommodari oporteat.* Ita Pacificatores Decreta ſua non Fidei articulis analoga, ſed fidem ſuis Decretis conformem eſſe voluerunt: privati utrinque commodi, quàm pietatis ſtudioſiores, ut cujuſcunque Religionis ſis, abundè habeas quod preſſis Fidei conſortibus condoleas & jacentem Libertatem deplores.

Quartò: Pacificatores lucem cum tenebris mala conſcientia miſcent. Cum enim non niſi una vera Religio eſſe poſſit, illi malè ſanciverunt, ut deinceps in æternum Pontificiis de bonis Eccleſiaſticis nihil ſubtrahatur: quod ipſum quoque ex mutuâ juris analogiâ (niſi contractus ſimulatus ſit) Proteſtantibus non minus competit. Qua ratione *duo contradictoria, verum & falſum in eodem dignitatis gradu perpetuo collocantur.* Perperam. Fateris, rem quidem vix aliter ſe habere: ſed ex duobus malis minus eligendum. Cum itaque vel Romani Imperii compages dudum diſſolvenda, vel utraque Religio toleranda fuerit, ex prudenti Majorum temperamento, & ſalutari aliorum Regnorum & Rerumpublicarum exemplo, utriuſque Religionis praxin in eo hactenus locum obtinuiſſe,

tinuiſſe,& conſequenter ad pacatam in futurum earundem cohabitionem, hoc interdicto opus fuiſſe. Reſpondeo:ut remedia variationi morborum, ita novas leges temporum conditioni attempera ridebere. Quodſi ergo Dictatores novam Pacem Religionis condere voluerunt (uti eos vel maximè voluiſſe ex ratione ſeq. patebit) conſultius omninò fuiſſet, quandoquidem ad plenariam reconciliationem media nuſquam occurrebant, eorum ſaltem aliquam mentionem injeciſſe,donec ſucceſſu temporis partes ad majus veritatis ſtudium & obſequium diſponi potuiſſent. Interea ſatius erat priſcos limites immotos relinquere,& exiguis parvique momenti mutatiunculis connivere, quam novis interdictis Veritati vim inferre, erroribus aſylum, & ſchiſmati Eccleſiæ infinito fomitem & pabulum ſubminiſtrare. Fateor, quod media reconciliationis hodie nuſquam compareant:inde tamen non conſequitur quod tanti Gygantes qui velut cœlum ſuper axes, ita Religionem ſuper humeros ſuos quieſcere voluerunt,in futurum quoque viam iis præcludere debuerint. *Sunt noctis,ſunt diei,ſunt crepuſculi alternæ viciſsitudines: nec id citra ſapientiſſimam Dei ordinationem.* Neque contrariæ Religiones (quotquot illarum nihil,quod manifeſtè impium & ſcandaloſum ſit, introducunt) eo fine in R. Imperio permiſſæ ſunt, ut perpetuum iſthic falſitatis refugium eſſet,neque ex ea hypotheſi, quaſi utraque Religio æquè bona, ſed quod utraque (pro partium diverſa Criſi) reſpectivè, tantum apparenter bona vel mala videretur, quandoquidem de controverſiarum regula & judice inter partes diſſidentes non conveniebat. Cum interim *ex duobus contradictoriis non niſi unum verum idemque bonum eſſe poßit*,inde conſequitur,circa fundationem Pacis Religioſæ Majorum noſtrorum mentem nunquam fuiſſe, ut præſens Eccleſiæ ſchiſma æternùm foveretur, ſed mutua utrinque ſecuritate præſtita, de mediis legitimis diſpiceretur, quibus adhibita convenienti lucerna admotoque Lydio lapide defectus alterutrius tandem deprehenderentur & è potiori parte (ſi non ab omnibus) agniti,citra perſonarum odium aut damnum commodiori viâ removerentur,ut tandem omnibus eſſet UNA FIDES, VNVS DEVS. Hanc ſpem Pacificatores vel ipſi non habuerunt, vel Hæreditati Domini noſtri Jeſu Chriſti inviderunt & ovile ipſius in infinitum diſturbatum voluerunt, non alio fine, quam ut aquis turbatiſſimis,tanto lucroſior ad Auſtrio-Hiſpanos rediret piſcatura. Quod enim lucius turbatis aquis, lupus disjectis ovibus, id Auſtrio-Hiſpani (alienorum dominiorum heluo-

nes) diſcordantibus politiis & Eccleſiis factitare ſolent. Ingemiſcent hic prudentiores, exiſtimantes eam Religionis conformitatem exoptandam magis eſſe quam ſperari poſſe. His oppono alternas lucis & tenebrarum viciſſitudines, Lunæ Eclipſes, incrementa, decrementa, necnon ſtatum priſcæ Eccleſiæ, ſub Conſtantini, Theodoſii, Caroli M. temporibus & graviſſimis illis convulſionibus: & ſpes non omnes abjicient. Licet itaque conatus ille reconciliationis, tempore Concilii Tridentini, ob multiplices tam Proteſtantium quam R. Catholicorum de eo querelas non ſucceſſerit, inde tamen non fit conſequens, eâdem in futurum lyrâ ab omnibus ſemper delyratum iri. Quodſi ergo divina clementia novum aliquem Conſtantinum ſuſcitaret, vel præcipuos Chriſtianorum Monarchas ad mutuum ſyncretiſmum & concordiam flecteret, ut tandem communi ope & opera liberum œcumenicum Concilium cogerent, Partibus utrinque leges præſcriberent, eas citra diſcrimen & affectus ad normam divinæ & in Verbo Dei revelatæ voluntatis coarctarent, atque heroica virtute & zelo *abuſus doctrinæ, ceremoniarum & bonorum Eccleſiæ ex utraque parte præciderent, tum malo præſens medicina haud deforet.* Sed enim ſi penes Pacificatores ſteterit, ſchiſmati nunquam & nuſquam finis erit, utraque diſſidentium pars veritatem Chriſtianam crepabit, ſtudioque litigandi vitæ Chriſtianæ veræque pietatis & charitatis oblivíſcetur, ſine quibus tamen fides mortua, nec majoris uſus eſt quam campana ſive mortarium ſine piſtillo. Interim, dum Ordines de Religione litigant, calliditas Auſtrio-Hiſpanica ſuum aſſequitur ſcopum, dum ſub prætextu Religionis in hos favorem ſimulat, in illos odium pro re nata præ ſe fert aut diſſimulat, omnes interim ſecum invicem & cum exteris committit, donec ipſis mutua lucta debilitatis, ipſa tandem potentior ſupetveniat. Hoc etiam fine ſalutaris illa diſtinctio inter *variatam & invariatam Auguſtanam Confeſſionem fovenda eſt, ut Confeſſioniſtarum bona pars à reliquo corpore reſecetur & priùs peſſundetur, tum reliquis, vel ex præſenti Vrbis Auguſtanæ ſtatu, vel afflicta ipſius Confeſſionis mutatione lis moveatur & violenter decidatur.*

Quintò: Pacificatores (in ſpecie) Saxonici communem Proteſtantium cauſam longè reddiderunt deteriorem, quam ea unquam prioribus annis fuit. Cum enim poſt fundationem Pacis Eccleſiaſticæ & Tranſactionis, quam vocant, Patavienſis, Archiepiſcopi & reliquus Pontificiorum clerus, juxta illorum Prælatorum voluntatem, qui tum temporis Euangelicæ puritati favebant, in Cathedralium & aliarum Eccleſiarum refor-

matio-

Digitized by Google

mationem conſentire nollent, ſed poſt multam litigationem, reſignationem ipſis liberam relinquerent, unà cum immunitate bonorum & honoris; Proteſtantes etiam hinc præviderent, ea via curſui Euangelico, iis locis omnibus fores in æternum præcludi, ***quod unum poterant, ſolenniter ea de reproteſtati ſunt, jura & occaſiones futuras eo ipſo prælatis, ſibi & poſteritati deſuper omni meliori modo reſervantes.*** Videantur Receſſus Imperii & ſcripta de Spiritualium Reſervatione. Quamvis etiam non diffiteamur, Principes Proteſtantes tandem anno 55. Auguſtæ hanc Epiſcoporum (qui ad ipſorum Confeſſionem accedere vellent) Abdicationem admittere coactos eſſe: Nemo tamen eſt, qui non agnoſcat eam Proteſtantium conniventiam nulli tertio præjudicare potuiſſe, adeoque futuræ Epiſcoporum Reformationi nihil derogare: vel maximè cum nulla publica lex ad manifeſtam impietatem obligare poſſit: quod omnino fieret, ſi Epiſcopi agnitâ Euangelii veritate à removendis Doctrinæ abuſibus & ſanctiſſimæ ſuæ vocationis reſtauratione non ſolum impedirentur; ſed & planè cogerentur ad normam Divinæ voluntatis operam ſuam errabundis ovibus ſuæ fidei concreditis ſubducere. Quod agnoſcentes nonnulli Prælati etiam poſt Tranſactionem Patavinam, non obſtante eo decreto, citra Reformationem ſuarum Eccleſiarum, muneri Divinitus ſibi demandato ſategerunt: quorum Actiones diploma Reſtitutionum anni 1629 impugnat: Cum etiam proteſtatio ſolius Epiſcopi Auguſtani ad ſuſpenſionem ſpiritualis Juriſdictionis, non obſtante reliquorum Epiſcoporum conſenſu, illi jus ſuum reſervaſſe putetur (ut ex cauſa Urbis Auguſtanæ notum eſt) mirum id omninò eſſet, communem illam omnium Proteſtantium exceptionem, Epiſcoporum verorum nomine inſtitutam ita penitus expiraſſe, ut alienâ conniventiâ omne ipſorum jus interciderit. Hujus itaque publicæ proteſtationis perpetuum vigorem Saxo non ſine ſummo Proteſtantium præjudicio neglexit, & quantum in ſe penitus annihilavit: dum Decretis Pragenſibus exercitium Euangelicę Religionis in multis Eccleſiis ad 40 tantum annos reſtrinxit; de cætero in futurum cavit, ***ne poſthac unquam quicquam Pontificiorum bonis decedat***, & hoc Duumvirale placitum ceu Perſicum concluſum loco pragmaticæ ſanctionis & univerſalis Imperii legis, ad quam lites futuræ dirimendæ ſint, obtruſit. Prudenter interim tritum illud *Primò mihi*, obſervans. Hinc Dno. filio ad dies vitæ de Archiepiſcopatu Magdeburgico: ſibi de 4. Præfecturarum feudo, in perpetuum proſpexit. Ad imitationem Diocletiani:

Amplificato territorio Saxoniæ, vel deleta Religione Chriſtiana.

Sextò: Pacificatores longè periculoſiſſima conſequentia, Religionem (cujus indubitata norma in S. Litteris relicta eſt) non ad Concilia, non ad priſcos Patres nec ad Traditiones Eccleſiæ, ſed *ad territorialem juriſdictionem appendunt.* Cum enim illa ſuprema Proteſtantium Maxima ſemper fuerit: *Ad legem & teſtimonium*, Ipſi tamen hoc paſſu, pro re nata, juriſdictione ſibi competenti non minus utantur, quam R.Catholici, id nunc, citra ullam mentionem veræ Religionis normæ, non ſine myſterio, tanquam Ipſorum ordinaria Regula allegatur, idque tam diſſimulanter, ut quaſi non datâ operâ factum eſſe videatur. Mirum quo fine? Sed eccum impoſturam. *Numerus Proteſtantium, quibuſvis artibus & modis minuendus fuit.* 1. Ex præcedenti ratione, Spiritualium (qui hæreditaria juriſdictione carent) Reſervatio contra omnes aſſultus præmunienda, ſucceſſoreſque ad prædeceſſorum tenorem in perpetuum obligandi. Majori Capitularium in deſignandis & reprobandis Electoribus; quam ipſorum Electorum in conſtituendis & deſtituendis Imperatoribus felicitate, autoritate & reſpectu. 2. Religio *peculiari lege, ad Proteſtantes quodammodo reſtrictâ*, juriſdictioni territoriali alliganda fuit, ut illarum Eccleſiarum praxis everteretur, quæ jus vocandi quidem uſurpant cum tamen juriſdictione careant. Ea conſuetudo Pacificatoribus odioſiſſima fuit, quia vocationes Miniſtrorum à collectivis corporibus profectæ, non tot mutationibus obnoxiæ ſunt, quam illæ quæ à ſuperiorum Individuis purè immediateque dependent. Dum enim hodie Dominus territorialis Euangelicus alicubi regnat, idem cras precibus, pretio vel minis poterit corrumpi ut Pontificius fiat. Non perinde cœtus totius Eccleſiæ. Quod ſi is conſtans per Dei gratiam maneat, ſucceſſor tentandus, cui, donec obtineatur quod Decretiſtæ voluerunt, omnis generis difficultates objiciendæ: quo fine æmulationes inter eminentiores Proteſtantium familias fovendæ, in urbibus etiam Imperialibus Senatui Euangelico Pontificii Collaterales pedetentim interſpergendi, aut ſaltem præſides Auſtriacis benevoli adjungendi ut mediantibus iis paulatim juriſdictio mutetur, & mutata juriſdictione ipſa quoque Religio innovetur. *Exempla Domus Palatinæ, Brandeb. Saxonicæ, Haſſiacæ, Badenæ, Naſſovicæ, Yſenburgicæ, ut & urbium Auguſtæ, Ratisbonæ, VVerde.ad Danubium &c. ſunt in propatulo. Nec ullum lignum uſquam adeo curvum, quin Auſtrio-Hiſpanica cunctipotentia eo rerum caſu anſam ex eo fabricare poſſit. Licet etiam ipſe Deus in decimam uſque generationem ſpurios ab Eccleſiæ conſortio excluſerit, inde*

tamen

Digitized by Google

tamen nemo demonſtrabit, *quod vel ipſi etiam non idonei ſint ad Familias Proteſtantium turbandas, eorumque vires minuendas.* Modo prætextus ſit ſucceſſioni, Legitimationis via plana eſt. Reticeo exempla. Adde quod abſoluto Dominatu in Imperio impetrato, Auſtriaci hanc quoque legem ſibi non minus quam aliis favere volent. 3. Hac ratione Proteſtantium teſtamentariæ diſpoſitiones, de tutelis ſuorum minorennium hæredum, qui diverſæ Religionis Agnatos habent, vel reſcindendæ, vel ſaltem in dubium vocandæ fuere, ut Domus Auſtriaca, quando aliter facere nequit, connivere poſſit, ſicut defuncto Friderico IV. Palatino contigit: viciſſim, ſi occaſio aliud offerat, cani fuſtem appendere: ut nuper defunctis Johanne Megapolenſi, & Wilhelmo noſtro Redivivo partim admiſſum, partim variis modis tentatum eſt: hoc quidem loco Darmſtadinum primò, tum etiam potiores ex Ordinibus tutelæ obtrudendo: contra Fratris Hermanni jus naturale: iſthic pupillum D^nae. matris curæ & educationi præripiendo & alienæ Fidei committendo. In ejuſmodi caſibus, pro re nata Cæſareæ Majeſtatis plenitudo, pro re natâ, propria hæc *ſcilicet!* à Proteſtantibus conſtituta regula ex formalibus Decreti poſthac allegabitur. Sed enim *Dominis Reformatis pro propenſa in eos voluntate præ cæteris hic inſigniter proſpectum eſt, niſi Decreta ſibi ipſis contradicant, quod de Magiſtris illis Iſraëlis ſuſpicari religio eſſet. Si enim Proteſtantium Religio à territoriali juriſdictione pendet, tum aut reformata quoque Religio Statibus ei addictis, vi ipſorum Iuriſdictionis, citra ullam reſtrictionem conceſſa erit, aut hoc Canone, ut & Mandato reſtitutorio (anni 1629.) Omnis ipſorum juriſdictio implicitè in dubium vocata & ſublata ut pulſum Palatinum, cætera reliquiæ brevi ſequantur: aut denique modo dictum illud Mandatum non minus quam præſens Decreti paragraphus febricitare incipiet.*

Velim Reformatos hic meminiſſe Henrici IV. Galliarum Regis, quem Hiſpani ſceptri non capacem clamitabant, prius quidem quam Religionem mutaſſet, *quippe hæreticum*, poſtmodum religione mutata *quippe hypocritam*: ipſis etiam Galliæ Invaſoribus præter omnis generis ſubſidia, propriam Infantem nuptum offerebant. Si Hiſpani hoc auſi ſunt in regno alieno, quid non audebunt in Imperio, quod ſibi ex præſcriptione plus quam biſſeculari deberi putant: ſi inquã id auſi ſunt in Regem re & nomine Magnum, cui ætas illa ſecundum non dederat, quid non audebunt in eos qui, tantum abeſt! ut priſcam Germanorum Libertatem tueantur, virtutem æmulentur, ut ſeipſos potius perditum eant. O Patria dulcis quibus moribus, temporibus, coætaneis nos re-

men utrinque Protheum ſive Vertumnum faciant, qui ſe in omnes formas transfigurare poſſit. Illud magis eſt admirandum, quo Ductore & Doctore, num Wittenbergæ è ſchola Melanchtoniana, an Pragæ in occulto Seminario Saxonico, artem illam egregiam, in negotio Religionis tam probè ſimulandi & diſſimulandi, & quamvis in dramate perſonam obeunt Saxonici Deputati, imbiberint? Utinam Lutherus hodiè reviviſceret. Cum ipſo moderno Pontifice Urbano urbaniùs credo Eraſmiaturus, ſed calamo arrepto contra hos ſuos populares, & dictos Fidei conſortes *novam munitionem firmiſſimam ad Præfectum muſicum conceptures eſſet*. Olim ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem appellabant: noſtri Pragenſes ranam Dianam, plectrum ſceptrum & quidlibet ex quolibet efficiunt. *Sacros enim Eccleſiæ Ordines de quibus diſpoſuerunt, quamvis aliqui eorum jure divino niterentur, regulamque ſufficientem in ſacris literis præſcriptam haberent, non tamen priſcis ſuis fundamentis immotos relinquunt, ſed modo in hanc, modo in illam partem vagæ arundinis inſtar contorquent, manifeſto temporalis compendii ſtudio*. Haut aliter ventris ſordes ſectantes, in ſanctiſſima Eccleſiæ cauſa, quam ſcarabei ficus equorum. Inde nimirũ eſt, quod eos contra conſcientiam, pravo ad omnem poſteritatem exemplo, deteſtando hypocriſeos, ſimoniæ & ambitus ſcelere conſpurcant, & Lutheranis ovibus Pontificios præficiunt Epiſcopos, viciſſim Pontificiis Epiſcopis oves Lutheranas objiciunt. Pari elegantia & concinnitate, qua Diabolus in pinnaculo penes Chriſtum poſitus, templum olim decorabat. Compendioſus meo judicio potuiſſet agier. Conſtituiſſent tantum Pacificatores *Pontificem & Epiſcopos ſubjecto eoſdem, relatione diverſos: ſub matutina Hugonotas, ad prandium Catholicos: circa veſperas & Completorium Lutheranos, ſic, ſola reſpectus diverſitate, omnes diſſidentes ad Eccleſiæ unitatem breviter reducere potuiſſent. Quid enim refert, ſi unum numero individuum, ad exhibendam Fabulam de Chriſto* (ut ajebat ille) *diverſo tempore, diverſas quoque perſonas ſubeat*. Omnibus his Pacificatorum novis creaturis ex Pragenſi Decreto *Deus venter, Religio commercium, devotio hypocriſis, mater Simonia paranymphi crimen ambitus, ſoboles infamia Chriſtianiſmi, finis ſecuritas, ſub ſpecie Religionis Atheiſmus, & condigna eius merces, illuminatio Gehenna*. Nimium quantum metuo, ne progenies ea idem brevi experiatur, quod olim filius Nebath, qui Iſraël peccare faciebat, peccato ob vitulos in Bethel & Dan verè pecuino & beſtiali totique regno tandem exitiali. Is rebus ſuis & regno recens orto humana prudentia opem laturus, & ea quæ à Domino regebantur correcturus, contra Dei

man-

ſtrorum Decretiſtarum Pragam remittendi eſſent. Verùm candidi erant iſto ævo tam Proteſtantes quam Pontificii; & ex utraque parte malebant, juxta ſuam quiſque divinitus ſibi conceſſam agnitionem ſine hypocriſi Deum ſuum colere, & dum reconciliari nequibant, ſuſpenſa ex altera parte juriſdictione Eccleſiaſtica, pacificè ſibi cohabitare, quam utramque Religionem mera hypocriſi invicem confundere & omnem ejus reverentiam profanare. *Saxonici cum ſervo voluntatem Domini ſciente nec faciente dupliciter vapulabunt.*

Octavò nunc digrediendum erit ad Rempublicam profanam, *hujus manifeſtam oppreſſionem & ruinam Pacificatores invexerunt.* Licet enim prima fronte communi Libertati & priſtinæ ejus ſecuritati ſua Tranſactione egregiè conſuluiſſe videri velint, antiquam tamen Domus Auſtriacæ Intentionem & veteratoria ad eam perrumpendi conſilia & media non ita probè potuerunt diſſimulare, quin oculatioribus, ut ſorex ſuo indicio pateant. *Thraſibulus Mileſiorum Tyrannus, de tyrannide ſtabiliendâ, olim conſilium rogatus, in agro obambulans, ſpicas proceriores & cæteris eminentiores baculo decuſſit: ſignificans proceres qui autoritate & potentia alios anteibant, è medio tollendos: eadem mens Auſtrio-Hiſpanorum, idem conſilium.* Quorſum enim tanta in Electoratibus & aliis Imperii feudis in Auſtriacas ſolum creaturas transferendis, legitimiſque eorum hæredibus reprobandis Caroli & Ferdinandi licentia? Ne conſulto quidem eâ de re Electorali Collegio, quorum conſenſus tutius poſt factum emendicandus, quam ante factum exorabilis videbatur. Cum nobilia feuda Imperii ſine Ordinum conſenſu nunquam de jure alienari vel transferri debeant. Quorſum inclytarum tot Imperii Familiarum oppreſſio, Æmulis earum elevatis? Niſi ut ſimultates foveantur, ne Status invicem concordes ad communis Libertatis aſſertionem concurrant & Novercali Auſtriæ benevolentiæ extremum Vale dicant, quæ ad Magnitudinem ſuam extendendam, eum honorem reliquis Ordinibus non invidet, quem vetuſtiſſima Principum Germanorum familia novitiis *Nobilibus* von Arbert. Ne unquam criſtas erigere poſſint. Quorſum Unionis, Lipſiacorum & Hailbrunnenſium Concluſorum annullatio, ſed Ligæ ſub novo nomine major confirmatio? Quorſum præſens in Hamburgenſes, Lubecenſes, Bremenſes & Emdanos indignatio, & omnis cum exteris eorumque legatis commercii prohibitio? E quorum Correſpondentia rebus Germanorum reſtituendis, unicum ſupereſt remedium. Quorſum LXXX. Millium exercitus immediatè ſub Rege Hungariæ,

gariæ Imperii ſumptibus alendus, cum vix unquam contra hæreditarium hoſtem Turcam tantæ copiæ eductæ? Quorſum penes Saxonem (qui ex Auſtriacorum Politica majorem rebellionem quàm Palatinus excitaverat) tanta condonandi facilitas, & quaſi rei benè & in commodum ipſorum geſtæ præmia? Quorſum innocentiſſimorum Agnatorum Palatinorum plenaria ab Electorali dignitate excluſio? Ut ſicco pede prætereamus prolem, ſucceſſionis jam capacem, priuſquam parens à Bohemis vocaretur? Quorſum tot & tantæ Magnæ Britanniæ Regum in cauſa Palatina ab Hiſpanis & Auſtriacis profectæ illuſiones, à Polono auctarii loco in connubiali negotio ſuperaddita impoſtura, quæ vel ipſum tandem S. Hiobum ad juſtam vindictam & ſeriam ultionem commoverent? Quorſum liberæ Bohemiæ ſubjugatio? Quorſum mutua tam Euangelicorum quam R. Catholicorum, per novi belli non neceſſariam clarigationem commiſſio? Quorſum exterorum excluſio & multiplices eis intentati aſſultus? *Nimirum omnia ad ſocii federis diſſolutionem, ut Status, qui cuncti non potuerunt, ſinguli opprimerentur: qui uno actu non potuerunt everti, ſucceſſivis ictibus & tractibus exſtirparentur, ut tandem Ordinibus Imperii, propriis viribus deſtitutis & ab exteris deſertis, jugũ Hiſpanicum jam injectum obfirmetur, Faſciumque Imperialium arbitrium unius familiæ nutui manciparetur: quo ſemel impetrato inſatiabilis illa dominandi libido laqueos exteris jam dudum tenſos confeſtim contractura eſſet.* Nimirum, quemadmodũ Deus in cœlis, ſic Nicanor Hiſpanicus in terris ſolus imperare vult. *Sit*

— *Aſinus quemcunque aſinum ſors improba finxit,*

& ferat jugum illud quiſquis volet. Ego non diffido, quin Deus hodiernos Maccabæos, Ziſkas, quod Botſcajos, Tellinos, Mauritios, Guſtavos ex alto ſit corroboraturus, ut Hiſpanorum machinationibus non obnitantur ſolum, ſed & eas evertant. Quod hodieque cognoſcimus in nunquam ſatis laudatis Heroibus Bernhardo Vinarienſi & Johanne Banerio, qui ab omnibus Imperii Statibus partim deſerti, partim etiam crudeliter oppugnati ſoli probroſa cornua Pragenſis Actæonis excuſſerunt omnemque fabricam faſtuoſi illius Beli, dum embryonis inſtar lateret, ſuſpectam habuerunt, infeliciter in lucem editam improbarunt, violenter obtruſam reprobarunt, de mediis ubique circumſpicientes, quibus firmo fundamento, non duorum Dictatorum ambitioni & privatis commodis ſed communi ſummorum, medioxumorum, & infimorum ſecuritati conſuleretur. Utinam, utinam inquam, Elector Saxoniæ pari virtutis exemplo ſuorum prædeceſſorum

veſti-

Digitized by Google

veſtigia preſſiſſet: alia jam facies eſſet Magdeburgi, alia facies Bohemiæ, alia facies totius Imperii. Olim Mauritius Saxo ope Regis Chriſtianiſſimi Pacem Religionis Carolo V. poſt fugam Oenipontinam nolenti volenti extorſit; hic Johannes Georgius eandem non dubiæ ſolum belli aleæ committit, ſed (*ſi ex canum latratu mors vitulorum penderet*) priſcos etiam ejus cooperarios & procuratores ultra Sauromatas & glacialem Oceanum relegatos, quin & prorſus è medio ſublatos vellet. Vah! quorſum homines abripis, Euripe omnium vitiorum ingratitudo? Quiſquis ergo ingenui ſanguinis aliquid reliquum habet, is periculoſiſſimum Reipublicæ ſtatum ſecum ponderet, & deprehendet, poſtquam *potentiores Germaniæ Familiæ vel oppreſſæ vel faſcinatæ vel aliis difficultatibus implicatæ ſunt, reliquis capiſtro injecto, fortalitiis partim deſtructis, partim præſidio Auſtriaco munitis* (ut Exempla Elect. Palatinatus, Archiepiſcop. Trevirenſis, Ducatus Juliacenſis, Brunſvicenſis, Würtenbergici, Marchionat. Badenſis, & Urbium Auguſtæ, Ratisbonæ, Donawerdæ & omnium ferme Suevicarum conteſtantur,) hæreditaria etiam Auſtriacorum & Hiſpanorum pacta, opera Comitis de Ognate & Capuccini Patris Hiacynthi, dudum confirmata ſunt, nil jam aliud reſtare, quam ut Auſtriaci verbis tandem profiteantur, quod factis abundè conteſtātur, ſe R. Imperium pro noviter acquiſito Dominio habere, quod Statibus rebellibus partim vi partim dolo ſubactis, non ut olim, Electionis ſed belli jure hæreditariè ipſis debeatur, tandem ad Hiſpanos devolvendum. Ne tamen dubio adhuc rerum ſtatu [quo mutuâ Membrorum ſymphoniâ & fido cum exteris concurſu, malo obviari poſſet] res aut periculoſa violentia, aut dolo manifeſtiori egeret, quibus vigilantiores irritari, ſimpliciores excitari poſſent, hac via ingrediendum fuit: ut aliqua Romani Imperatoris Electio, uſque dum commodior occaſio ſe offerat, pro forma & dicis tantum gratia ſupereſſet; ſucceſſio tamen in Imperio re ipſa non à liberis Electorum votis; ſed præcedanea & *quibuſvis artibus emendicata Romani Regis Deſignatione penderet, ad quam Deſignationem in eadem Familia continuandam, favore Electorum opus erat*. Dum itaque prioribus annis Proteſtantium & Catholicorum Vota de paritate Numeri periclitabantur, non ſufficiebat, Palatinum ſede vel quavis ratione deturbaſſe, & Bavarum ſubſtituiſſe: ſed tentandum etiam fuit, num Auſtriaci ad Electoratum Moguntinenſem aditum ſibi parare poſſent? Omnium autem tutiſſimum erat, de hæreditaria Bohemiæ ſucceſſione ſibi providere, ut Supra-pondium

Votorum penes Auſtriacos in perpetuum ſtatet. Atque hac via, modo Eccleſiaſtici Electores Auſtriacis conſtanter faviſſent, res omnis fuiſſet integra. Aſt enim, quia Ludovici Bavari Reverſales, quas olim Auſtriaco ſuo Antagoniſtæ, de Imperii libera ſucceſſione extorſerat, alta mente repoſtæ manebant, ſpiritus ſublimis etiam Ducis Bavariæ non minus pro tempore formidabilis erat quam ante annos Leopoldi Archiducis; ideo commodum fuit, priſcam Bavaricæ Familiæ offenſam diſſimulare, ipſamque manubiis Palatinis condecorare, ut Palatinus mercedem condignam reportaret, pro eo quod Voto ſuo Auſtriacis non ſemper adfuerat, atque eam quidem reportaret à proprio ſuo Agnato quem ultima legitima electione, Faſcibus idoneum judicarat. Neque hoc ſatis, ſed dum præſentes mutationes, poſt tot revolutiones, tempore Pacificationis Pragenſis, Auſtriacis ſic ſatis favere videbantur, Saxoni etiam, ſuo ſenſu abundanti, ab Hiſpanico Legato jam ante perſuaſum eſſet, Suecis in Imperio prævalentibus, de ſua inter Euangelicos Præeminentia actum fore, iſthac diffidentiæ occaſione ſibi utendum judicarunt, quæ fronte capillata, occipitio calva eſt. Dum ergo potuerunt, unicum Palatinum, quod nuſquam lupinis ipſorum fidibus concordaret, everſum; reliquos omnes in perpetuum ſibi mancipatos voluerunt. Bavarum nuper collati Electoratus confirmatione, non ad dies vitæ, ſed & ad ſeram poſteritatem, *contra jura & leges Imperii, quin & primæ tranſlationis conditiones ad ſolius Aulici judicii tyrannicam proſcriptionem.* Saxonem, feudo Præfecturarum Magdeburgicarum & Luſatiæ, bonæ Regni Bohemici portionis: *contra jura & leges Imperii, quæ Electoratus, ut nobilia & præcipua Imperii membra dimembrari vetant.* Brandeburgicum ſpe Pomeraniæ recuperandæ, à Suecis juſto bello ad æquam tranſactionem occupatæ, poſtquam à Fridlando, publico Imperii prædone oppreſſa eſſet, *contra Libertatem & leges Imperii.* Moguntinenſem, ære Hiſpanico tempore fugæ Suecicæ, & deinceps liberaliter ſuppeditato: non tamen propter Lazarum, aut ex miſericordia, ſed ad oppignerationem teloniorum Imperii, *contra jura & leges publicas, quæ præcipua illa Regalia deteriorari vetant.* Trevirenſem, ſpe reſtitutionis in integrum & conſequendæ veniæ, ob Gallicarum partium ſtudium, ad quod tamen ipſum eo rerum ſtatu, ipſa Ferdinandi impotentia, & ad Religionem ſuam conſervandam, inevitabilis compulerat neceſſitas: quæ tamen ſpes amaram hanc conditionem annexam habuit, ut & ipſe in conditionatam Ferdinandi III. Electionem conſentiret, quod impetratum iri, reliquis

liquis Electoribus promiſſum erat. *Contra leges Imperii quæ Vota Electionis libera, non è vinculis, non coacta, non largitionibus acquiſita requirunt.* Colonienſem, omnimodam ejus Familiæ promotionem, in ſucceſſore deſignando, ei promittendo, & Circuli Weſtphalici Directionem offerendo, *contra priſcam Capituli praxin, & poſſeſſorum Iuliacenſium jura & præſcriptionem.* Nec tamen tot & tantis Electoralis benevolentiæ fulcris contenti fuere Auſtriaci, ſed præſenti LXXX. Millium exercitu opus fuit, ut armatis Comitiis Ferdinandus III. Statibus obtrudi poſſet, ſi forte quiſpiam ipſius Electionis proceſſum ad calculos vocare conaretur. Hic mihi cerne, quo ſum abierit Electorum vigilantia, Germaniæ Libertas, Imperiique avita Majeſtas? Huc nimirum, ut, necdùm vacante Imperio, vivo adhuc Imperatore, Legatus Hiſpanicus (ut nuper Ratisbonæ factum eſt) inſtar perpetui Dictatoris, domatim tantum Electores viſitet, & eis ad calamum dictet, quid Regi ſuo placeat. Craſſum enim Ambitus crimen id ſaperet, ſi domeſticus Auſtriacorum miniſter id officii novo Imperii Candidato præſtaret. *Cogitent hic probi R. Catholici, an pro ſtabiliendo abſoluto unius familiæ dominatu, ad oppreſſionem propriæ ſuæ Libertatis, cum ineluibili ad poſteritatem ſocordiæ notâ connivere poſſint? præcipuè autem Electores Eccleſiaſtici hic recordari debebant, ex quo fonte prioribus annis profecta fuerit Fridlandiæ Ducis à generali exercitus Cæſarei præfectura abdicatio.* Is, quod alicubi paulo liberius de reſtringenda Epiſcoporum ſeculari juriſdictione locutus fuerat, tum quidem temporis luere coactus eſt: tempore anguſtiarum denuò revocandus. Quid nunc fit? Ferdinandus & ejus Legati bellici undiquaq; committunt quod Fridlandus non minebatur, ſed imprudenter effutiebat. ſoli agunt *Vocales:* Exercitus mittunt remittunt, in ditiones tam Electoralium Archiepiſcopatuum, quàm Proteſtantium: ſine ſtipendiis, ſine commeatu: ſine conſenſu ordinum: Atque ipſi quidem Electores quippe officiis Eccleſiaſticis ſolùm idonei, in his Imperii fatalibus negotiis meræ ſunt literæ Mutæ. Niſi veternum excutiant Electores Spirituales: Domini Capitulares etiam in ſummis Eccleſiis, rebus ſuis attentiùs invigilent, brevi res eò concidet, ut Eccleſiaſticis Electoratibus Albani, Farneſii, Leopoldi, Capituliſque ipſis & Collegiatis Eccleſiis tumidi Leivæ, Vergaſii & ejus farinæ alii, (quorum indoles ex Belgica hiſtoria nota eſt) obtrudantur, qui *Nobilitatem Germanicam, in deſignandis Eccleſiaſticis Electoribus tanti faciant, quanti olim Magnanimus Bethlehem Gabor, Deſignatus Rex Hungariæ, Regulas Priſciani: qui poſtquam durantibus nuptiis ſuis Caſſoviæ*

Digitized by Google

Latinitate ſua frequentiſſimo Conſeſſui riſum moviſſet, appoſitè reſpondit: quid curaremus Priſcianum Grammaticum, qui non metuimus Romanum Imperatorem: pariter eo caſu Germanis reiterabitur barbaro-Hiſpanum illud: *Nos non curamus veſtros Privilegios.* Tum quidem Nobilitas Germanica, ob Electoralis dignitatis prærogativam, omnes alias Nationes tot retrò ſeculis antecellens, proprio peculio acquietura, Eccleſiaſtici etiam pura juriſdictione ſpirituali contenti futuri, ſi ſuperciliosi Hiſpani tantum eis reliquum facturi eſſent. *Sapienti pauca.* Quotquot ergo vigiles legum, & publicæ Libertatis cuſtodes à Deo ordinati ſunt, proprii tandem periculi cauſa evigilent, nec manifeſtæ Patriæ oppreſſioni ulterius conniveant, ſed quod facere poſſunt, in tempore faciant, maturè ad conſtantem Unionem redeant, nec ipſi ſolum in ſui juſtiſſima defenſione perſiſtant, ſed Socios etiam oppreſſos è vinculis & jugo ſervitutis eripere nitantur: vipera noxia & mordace in ignem projectâ, ne vel progenies ejus denuo noceat, vel ipſi ſerius deinceps ſuam ſortem deplorent. Ergo citra moram

Principiis obſta, ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Neque ſufficiet, vulnus præſens *Pace fucatâ* ſuperficialiter tantum ad trihorium curaſſe, ut latius interea ſerpat, majores vires acquirat, & tandem ceu dirum fulmen cum tanto majori fragore & Reipublicæ convulſione erumpat. Quin potius amara radix tot nocentiſſimorum fructuum exſtirpanda, fons præteritorum & futurorum malorum obſtruendus, Cancroque laborantium membrorum, mediante ſectione & rejectione jactura facienda quàm totius Imperii compagis diſſolutio concedenda.

Cogitent ergo Status Imperii, quorum curæ & fidei divina Potentia publicam Libertatem, Eccleſias, politias & populos concredidit, quantum miſeriarum diluvium Ferdinandus II. & III. Imperio intulerint, & florentem olim Germaniæ ſtatum ſub moderatis illorum Anteceſſoribus, cum præſenti ejus cadavere comparent, & facilè agnoſcent, pruritum hunc belligerandi, & inſatiabilem ipſorum dominandi famem omnem Chriſtianitatem (cujus ſalus & conſervatio à Germaniæ flore & Libertate pendebat:) tantum non peſſundediſſe: Quod Ordines in uno noxio membro removendo, communi conſilio poſſunt, id proprio privato arbitrio in multis ſalutaribus Libertatis organis evertendis commiſit: & poſtmodùm, Unione ſoluta, (quæ libidini ejus frenos

frenos injiciebat) totum Imperium,continuo 20. annorum bello,omni virili robore exhauſit, Nervo belli & annona undiquaque nudavit Interim Turca, dominator ille Aſiæ,Africæ & Europæ vigilat,& rebus ſuis intentus eſt,cujus Moli,cum aliis comparatæ,& ex regulis politicis inconcuſſæ,citra Imperii ſuppetias, faſtus Auſtrio-Hiſpanicus tantum, quantum turbini arundo reſiſtere poterit. Concurſum autem Imperii & ſocia cum Auſtriacis arma, contra tam præpotentem hoſtem vel ſola impoſſibilitas deinceps remorabitur. Sopho itaq; Perſarum vel armis ſubacto,& Perſia,Media,Parthiaque recuperatis,vel ad ęquam pacem vel inducias compulſis,neq; Jaurinum,neq;Comarinum impedire poterunt,quo minus terra marive inGermaniam irruptione facta,id tandem aſſequatur,à quo PhilippusPalatinus ipſum anno 29.prioris ſeculi prohibuit. Auſtriaci tum quidem vias Caroli ex fuga Oenipontina relegere poterunt, & tantiſper communi cum Hiſpano ſorte frui donec divina juſtitia torrentes illos ſanguinis, in Indiis, Germania utraque, Galliis, Italia & alibi innocentiſſimè ab iis fuſi tandem quoque vindicet.Reliquas autem Principum familias mare miſeriarum, quod Deus clementer avertat,abſorberet. Quodſi ergo indolem,potentiam,ſubitaneoſque progreſſus priſtinos Turcarum præſens ætas vel noviſſet,vel cauſas præteritarum cum Auſtriacis induciarum, Babyloniâ jam ſuperatâ,magnam partem ſublatas eſſe agnoſceret, omnes profecto Principes Chriſtiani tam intra quam extra Imperium,ſeveriores futuri eſſent, in Auſtriaca tyrannide cohercenda, parcioreſque in viribus Imperii fruſtra conterendis,ſeque ipſos omni præſidio nudatos,Turcicæ rabiei & ingluviei exponendis: *qui in natos ſervos & mancipia mitior eſſe ſolet,quam ſanguinem Principalem, quem non minori favore, quam proprios fratres proſequitur, & eodem immortalitatis præmio excipit, quo Tiberius Cæſar poſthumum Agrippam,hoc eſt totali internecione delet,ne uſquam novorum motuum materies aut recuperandæ Libertatis ulla reliqua fiat occaſio.* Hic quæſo contemplare priſcam Græciæ Majeſtatem & Orientalis Imperii ſedem,Hungariæ Illyriique florentiſſimum olim ſtatum, eumque cum exhauſta Germania confer, nec non cum Turcica mole & rerum omnium abundantia, & ipſe fateberis, nihil obſtare,quo minus pari CCC. Millium exercitu, quo elapſo anno Sophum Perſarum,vel etiam majori,Chriſtianos invadere poſſit.Patet ei Auſtria,reliquiæ Hungariæ,Illyrium,Italia.Poſtquam etiam Valachia & Moldavia dudum ſub jugum miſſæ ſunt,aditus quoque patet in Poloniam, quæ quippe fortalitiis deſtituta,quan-

ta

ta quanta eſt,ejus direptionibus expoſita eſt. Ponant D^{ni} Poloni ut ſolent, ſalutem Reipublicæ ſuæ in acie novaculæ,& præſidio ſuorum corporum! Nemo tamen eſt,qui cum prudentioribus ipſorum non agnoſcat, unam aliquam inſigniorem cladem eis lethalem, Turcicæ autem vaſtitati & frequentiæ ne quidem doloroſam admodum fore:qui Tartaris Præcopienſibus nunc ſubjugatis, & coloniis Buczakianis deletis, (ne ſe cum Valachis & Moldavis conjungerent) quoties voluerint,exercitus contra Polonos reſtaurare poterunt: vel maximè dum Coſaccos,Liſovianos & Saporovianos tantopere Regi ſuo infenſos norunt. *Pluſquam bruta ergo cæcitas eſt, quod tyrannidem domus Auſtriacæ mutua diſcordia & ſeparatione noſtri ſtabilientes,nos primum Lupis,tum Lupos Leonibus objicimus.* Dum ad abſolutum dominatum Auſtrio-Hiſpanicum confirmandum, jam centuplo plùs quam olim contra Turcam contribuendum eſt,anima ipſa nobis extorquetur,omni robore nudamur, ut Turca ſupervenies vertiginoſo capite ſublato, corpus ſemimortuum tandem penitus exoſſet.Sapias ergo tandem aliorum exemplo,ô faſcinata Germania, & quod hoſtes faciunt, tu fac ſimiliter: firmius tecum Ipſa, firmius cum exteris amicis coi,& quemadmodum contra Pacis Pragenſis vix annuam ætatem egreſſæ diſertam prohibitionem, Ligam Catholicam Redivivam vidiſti in Cardinalis Infantis Reſolutione Montibus Hanoniæ anno *1636. 5.* Julii publicatâ: ſic tu quoque tandem conſtanter UNIAS corda, unias vires tuas, & quod Ferdinandus ſolo proprio faſtu, in multis ſalutaribus Libertatis Organis tollendis toties factitare conſuevit, id Ordines junctâ operâ & conſiliis, in fonte totius mali obſtruendo, & uno noxio membro reſecando factitent, ut Libertate jacente ab uno graſſatore vindicata,priſtinum florem, vel tandem poſtliminiò recuperes, & Turcam poſtmodum non tam metuas,quam ei metuenda ſis.

Nonò. Quamvis innumeræ ſint iniquitates & damna, quæ Domus Auſtriaca ab anno 1300 Imperio intulit, ex quo Ottomannicum Imperium nimium quantum amplificatum eſt; dum Auſtriaci ſub ſpecioſo prætextu Turcici Antemuralis faſces ſemper captarunt; ſemper tamen non tam Germaniæ infelicitate, quam propriâ ignavia Turcis aſſerunt;Id ſolum per cuniculos agentes, ut ſub favorabilis illius contra Turcam præmunitionis nomine Ordines Imperii emulgerent:opibuſque publici ærarii Magnificentiam ſuam oſtentarent, plumis alienis ornati; ipſi alioquin nudiſſimi; interim Statibus peſtilentiſſimam

illam

illam opinionem inſtillarent, nullam, ſcilicet! aliam Familiam Turcicæ rabiei compeſcendæ ſufficientem eſſe. Adeoque ſucceſſionem ejus in Imperio perpetuandam: Omnia hoc fine, ut tandem abſolutum Dominatum ſibi acquirerent, & Ordinum libertatem ad Stygias aquas remitterent. Hoc nimirum ſcopo nullæ machinationes omiſſæ, ad Regna Hungariæ & Bohemiæ ſubjuganda: (ut propediem ſpecialius:) & Domui Auſtriacæ quoque coadunanda & conglutinanda: ne iſti ante Ferdinandum ferreum cum Proteſtantibus in Religionis Negotio conſentientes, Intentionem Auſtriacam retardarent. Id cum ſucceſſiſſet, Baſes Germanicæ libertatis propalam evertendæ, & Electoribus ſpecioſis verbis & promiſſionibus os obliniendum. Quod nunquam anteà tam manifeſtè factum quàm pace Pragenſi. Quæ nihil præjudicare debuit Imperio; donec admitteretur ab Ordinibus; & tamen ſpatio decennii vi & tyrannide plus quàm tygrica omnibus obtruſa eſt: Cujus infeliciſſimus fœtus, & filia verè ſpuria fuit Ferdinandi III. in R. Regem deſignatio.

Pace enim Pragenſi Ferdinandi ſecundi abſolutus Dominatus confirmatus eſt, & Ferdinando III. abſolutum armorum arbitrium, (maxima ad tyrannidem via) conceſſum; Juriſdictio illigata relicta, proſcriptio Electorum ipſorum, à Judicio Aulico profecta, approbata; cui ne graviores quidem controverſiæ Feudales debebantur; Electoralis etiam Dignitatis Tranſlatio ad puram privatam libidinem alligata, contra Cæſaream Capitulationem, auream bullam, priſcam praxin Imperii: & Nuperam Electorum quorundam & Statuum in Comitiis Ratiſbonenſibus & Mulhuſinis demonſtrationem, quibus reſponſum illud datum: *Tranſlationem illam Imperii Legibus nihil præjudicare debere*; pari elegantia, ac ſi publici prædones ſe ſalvâ regulâ juris & æqui, aliorum bona rapere profiteantur.

Nimirum hæc Auſtriacorum proſenia brevi toto Imperio eos fructus proferet, quos Auſtria, Carinthia, Carniola, cum integra Bohemiâ expertæ ſunt, niſi Status oculos aperiant, Ferdinandi tertii Electionem ſuo ipſius pondere trutinent; Imperiique Columnis non minus *Reprobationem*, quàm *Electionis* munus, ex Juſtitiæ Regulis, & Imperii Conſtitutionibus vindicent.

Decimò: Sicut incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin, ita Pacificatores ſeipſos, & quoſcunque ſuo Sirenum cantu dementarunt, è ſimplici in duplex, triplex, quadruplex malum præcipitarunt: quo penitùs potuiſſent extricari,

Digitized by Google

ſi ſui officii memores in laudabili propoſito & aureæ Libertatis defenſione Socios & ſeipſos non deſeruiſſent. Atque eccum fructus amabiles. I. Ferdinandum, antiquum ſuæ Libertatis ſupplantatorem, hoſtem retinent, qui licet in ſpeciem reconciliatus eſſe dicatur, odium tamen & nocendi ſtudium non prius ſeponet, quam cœcam obedientiam ab omnibus obtineat. Dum ergo Status nunquam conciliati mutuo federi inhærentes, rem habuiſſent cum hoſte ſemifracto, jam reconciliati ex improviſo à potentiori Venatore opprimentur. Vbi verè de iis dicetur, quod *turdus ſibi ipſi malum creavit*. II. Eos ipſos, qui ob concurrens ſuum periculum, communem cauſam ſociis armis & opibus hactenus cum ipſis propugnarunt, perfida deſertione in ſe concitarunt, qui probè norunt diſcernere inter veram & fictam, coactam & ſimulatam neceſſitatem, defectionem & deſertionem. III. Accedit inſatiabilis Commiſſariorum Ligiſticorum exactio: ubi egregia in melius mutatione CXX. & denuo CL. Menſes, nach dem einfachen Römer zugeſt numerandi erunt, idque ad propriam ſui oppreſſionem, cum rebus adhuc integris, anno 33. XII. ſaltem Menſes, ad ſui conſervationem Ordines aut non poſſent, aut non vellent comportare. Taceo quod Ferdinandus 1. Statibus ſub & obreptitiè obtruſus 2. bello privato quod ſuo & Saxonis Arbitrio & proprio motu Exteris indixit. 3. Ad ſuæ Domus magnitudinem extendendam: 4. Liberos Ordines magis & magis opprimendos &c. 5. Contributiones priores primùm precarias; deinceps violentas tandem immoderatas, injuſtas & in præſenti impoſſibiles continuâ exactione, 6. Ordinarias facit. 7. Onere quidem Collectandi Statibus relicto, ſed 8. fructibus ejus contra omnem priſcam praxin ſibi in ſolidum reſervatis. Sed IV. hoc malum erit lethale. Monſtroſum illum exercitum, qui à Statibus quidem ſuſtentari, ſed à ſolo Ferdinando pendere & ad LX. Millia extendi debet, non connumeratis XX. Millibus Saxonicis, non ita facilè dimittent Auſtriaci, ſed ad ſui ſecuritatem, eundem Ordinibus omni meliori modo ad multos annos alendum recommendabunt. Nec mihi imaginari poſſum, dum Domus Auſtriaca jam ante præſentis belli initium, ſola non minus quàm XVI. dominia *è Matricula Imperii exemerit*, *teſte* Reichs Pfenning-Meiſters *Archivo*, quod ob illam contributionis portionem, quæ Imperio amiſsâ Lotharingiâ decedit, Pacificatores ejus reſtitutionem tanta vehementia urſerint. Cum certiſſimum ſit, Lotharingum multis retrò annis, ne teruntium quidem

Digitized by Google

dem ad onera Imperii comportaſſe, ſed non minus quam Burgundos in Comitiis publicis Auſtriacorum Majora auxiſſe, tum etiam Gallicanorum Conſiliorum coryceum, & perpetuum Franciæ turbandæ inſtrumentum fuiſſe, & quam primum reſtituetur, denuò ſemper futurum eſſe. Poſtquam enim actiones Guiſiorum & ipſorum aſſeclarum Galliæ innotuerunt, Lotharingicus faſtus, alienis plumis olim ſuperbiens, non parum detumuit: Niſi ergò Galliæ abuſivum arbitrium penes ipſos ſit, qui ſuas vires ad Immunitatem acquirendam inſufficientes eſſe norunt; offenſa Gallia, Auſtriæ ſine dubio ſemper adhærebunt: Auſtriæ dico, ſed nunquam Imperio. Quod ſi autem ex Imperii Statibus eſt, eccur non ad paria cum reliquis Ordinibus onera aſtringitur? Quod ſi ſubditus non eſt, cur Ordines Decretis Pragenſibus ad ipſum reſtituendum, ejus gratia exteros reges in ſe concitandos obligantur? Nunc itaque prædelibatis Pacis Pragenſis hiſce & ſimilibus aliis fructibus dulciſſimis, vide Lector & judica.

Non poſſum quin ſtolidam multorum credulitatem hîc non improbem, quæ poſt exceſſum Rudolphi II. tot nocumentis Domus Auſtrio-Hiſpanicæ edocta, nondum tamen incipit ſapere, ſed neſcio quam facilitatem & aureos montes de Ferdinando III. fruſtra ſibi pollicetur. Ne videlicet Ordines ad deſperata extrema conſilia denuò ab ipſo adigantur. Eadem ſpes concipiebatur de Alberto, quem Belgæ ſuis prædeceſſoribus mitiorem fore putabant, quod Germanico ſanguine oriundus eſſet: ſed & hic Connubii Hiſpanici virtutem, cum vix ad clavum acceſſiſſet, ſtatim conteſtatam faciebat, innocentiſſimam virginem nomine Anneken van Hoſe Religionis cauſa vivam crudeliſſimè contumulando: ſic hic quoque metuendum, ut *non procul à Patrio ſtemmate poma cadant*, quantò Ferdinandus II. diſſimilior Salomonis; tantò quoque filius gravior Rehabeamo, illic ſcutica, hic ſcorpiones metuendi. Mihi quidem hic quoque uſu venire videtur, ut quæ maximè volumus, eadem & facilè credamus. Sed cæca illa fides *fatuis ſæpius, quam vel Fatis vel factis ineſt*. Haud aliter hic accidit. *Fati illud eſt* quod res Proteſtantiũ Ferdinandi tyrannide & Saxonis defectione eò extremitatis publicè & privatim redactæ ſunt, ut ſine ſociorum ope Domui Auſtriacæ, quamvis maximè vellent, non tamen nocere poſſent. *Facti eſt*, quod Ferdinandus ſibi ipſe lex eſt & agit quicquid libet. *Fatuum tandem illud eſt*, quod ex anili credulitate ovis lupo committi-

 mitti-

Digitized by Google

mittitur, qui pilum aliquando, animum nunquam mutat. Huc facit Apologus. Felis olim devotionis cauſa rus concedebat. Grex murium agreſtium ab hoſte communi infeſtatus, publico facto decreto in antris latitare, & ſubterraneis radicibus victitare conſtituit. Inde felis jejunio macilentior, accepta veſte religioſâ caput tondetur, mentitur vocem, diploma ſecuritatis affigit, miſſoque Feciali proclamat:

Olim quod fueram non ſum, caput aſpice tonſum.

Re ad Concilium relata & in deliberationem vocata, Proceres nutare: tandem Rex Glirium pro autoritate, memorabile non minus quam ſalutare Reſponſum edidit.

Cor tibi reſtat idem, non tibi præſto fidem.

Vndecimò: Pacificatores fedifragia, perjuria & horrendum divini nominis abuſum introducunt, Cum tamen jurata fœdera vix unquam à barbaris etiam Nationibus impune violata ſint. Quicquid etiam Ferdinandini, de fide hæreticis non ſervanda ſenſerint, Saxonici tamen Deputati ex ſuæ fidei Principiis à peſtilentiſſimo illo canone abhorrere debuiſſent. Sed eis condonandum, quia citra dubium efficax Regeneratio penes eos intervenit, non quidem ex aqua & Spiritu, ſed rore Solari, cujus tantus in ſublunaria influxus eſt, ut non ſaxa ſolum ſed & ſaxea Saxonica corda velut Amphyon ſuo cantu flectat, nihilque invictum maneat, quorſum aſinus eo balſamo oneratus penetrare poteſt. Id hic quoque uſu veniſſe, ſubitanea Aulæ Saxonicæ metamorphoſis arguit. Lipſiæ non ita pridem omnia ad Libertatis defenſionem ferventiſſimè conſpirabant: integrum Quinquennium Neronis labitur, quo elapſo Pragæ cuncta immutantur, ut omnino veriſimile fiat, pilis argenteis luſum eſſe. Quicquid ejus ſit & quacunque via Saxones transformati ſint, non multum refert, cum factum ipſorum ſit in propatulo: tantum videlicet perjurium, fedifragium & perfidia, cujus ne ſimile exemplum uſquam in hiſtoriis Euangelicorum deprehendes. Ut dubiũ ſit num Deus, cui falſatores ſanguinolenti abominationi ſunt, prædeliberatis ejuſmodi peccatoribus pœnitentiam largiturus ſit. Et revera, niſi maturè ad meliorem mentem redeant, res periculo non carebit, ſed magnopere metuendum, ut tantam Eccleſiæ Reique publicæ deſertionem, proditionem & oppugnationem extraordinaria quoque pœna ſubſequatur. Quod ſi ſpes aliqua reſipiſcentiæ ſupereſt, non hominis ſed Dei vocem audiant Ezechielis 17.v.11.ad 27. ſub perſona fedifragi Regis Zedekiæ

contra

contra ſe fulminantem, qui perjurio ſuo non ſolum ſe & familiam, ſed cultum etiam divinum & politiam ipſam delevit. Digna ſunt præ cæteris illa verba, quæ v. 15. 16. occurrunt, ut in honorem Pacificatorum hic adducantur. *Num res illi (ait Propheta) feliciter ſuccederet? illene ſalvus evaderet. qui tanta committit?* ISTENE QVI FEDVS RVMPIT, IMPVNITVS ELABETVR? *Quam verè vivo, ait Iehova, in loco ipſius Regis, qui cum Regem conſtituerat, cujus jusjurandum ſprevit, cujuſque ſedus fregit, ibi interficietur, nimirum Babylone: & paulo inf. v. 18. ad 21. Quia jusjurandum ſprevit, ſeduſque fregit, quod data dextera confirmaverat, & tamen, eo non obſtante, hæc omnia facit, nunquam impunitus elabetur. Ideo Iehova ſic ait: Quam verè vivo,* MEVM *illud jusjurandum, quod floccipendit, & ſedus* MEVM, *quod diſrupit, in caput ipſius rependam. Nam plagas & retia mea ei ſuperinjiciam, ipſeque mea venatione certò capietur (en venatores venatorem) eumque adducam Babylonem, ibique cum ipſo diſceptabo de eo, quod in me tantopere prævaricatus ſit, &* OMNES IN BELLIS EIVS PROFVGI *(en ſedifragorum ſucceſſus bellicos) quotquot ipſi adhærent,* GLADIO CONCIDENT, *omneſque eorum reliquiæ in omnes ventos diſpergentur: & tuipſe experieris, me Iehovam id locutum eſſe.* Quæ verba ſi conferantur cum Zachariæ cap. 5. v. 1. ad 5. vix ovum ovo ſimilius erit, quam præſens Tragœdia priſcæ illi hiſtoriæ. Sed videamus ipſum Zachariam, *Videbam (ait) Epiſtolam volantem, & dicebat mihi (Iehova) quid cernis? Reſpondens dicebam, cerno Epiſtolam volantem, longitudine XX. latitudine X. ulnarum. Et dicebat mihi* ISTA EST MALEDICTIO, EXIENS SVPER OMNEM REGIONEM. *Omnes enim fures tenore ejus abſolvuntur, & omnes perjuri tenore ejus abſolvuntur: aſt ego producam, ait Iehova Zebaoth, ut prodeat (ſubintellige judicium meum, nihil obſtante imaginaria illa abſolutione) ſupra Domum furis, & ſupra Domum illorum, qui in nomine meo perfidè jurant: & in illorum Domo manebit (vindicta) eamque devorabit cum ligno & lapidibus ejus.* Nunc inſtituta collatione contueamur curſum præſentis temporis. Quinam furti & rapinarum toto Imperio commiſſarum Actis Conventus Lipſiaci accuſati & convicti ſunt? Liga & Ferdinandus. Quinam exercitus Ligiſtarum titulo prædonum raptorumque cohoneſtavit? Elector Saxoniæ. Quisnam ad arma ſocia publicis illis hoſtibus opponenda alios convocavit? Quinam Acta Lipſiaca mutuis porrectis dexteris, & annexa ſubſcriptione, Sigillique munimine corroborarunt? Quinam ſolennia per Dei S. S. nomen juramenta, Principum more interpoſuerunt? Elector nimirum Saxoniæ, nec id ſine æterna nominis ſui laude, niſi eam ipſus obſcuraſſet. Quinam enim quæſo! icta fœdera, præſtita juramenta non ipſi ſo-

lum fregerunt, ſed ut eadem & alii frangerent autores extiterunt? Quinam fures illos & totius Imperii expilatores non ſolum abſolverunt, *ſed & ipſimet ſocii furum facti ſunt?* Eſaiæ 1. v. 22. Quinam fedifragium vili habuerunt, fedifragos ipſos excuſarunt? Quinam Decretis abſolutoriis utrinque quinque dierum alam agglutinarunt, ut Imperium tanto citius pervolarent? Quorum Domos & terras vindicta divina brevi poſt ingreſſa eſt? & ſemper ſuper iis manſura, eaſque cum lignis & lapidibus ſuis devoratura prædicitur? Feſſus ſum interrogare. Pacificatores ipſi conſcientias ſuas juxta examen prædicti fulminis divini excutiant. O deſperatã ipſorum conditionẽ, ſi tantiſper occalluerunt, ut nec lapſum ſuum graviſſimum agnoſcant. Niſi etiam præmiſsâ feriâ pœnitentiâ, Dei longanimitas, cujus non eſt numerus, propter Chriſtum, unicum Mediatorem, temporalem pœnam mitiget, æternam tollat & condonet, nollem ego prꝗmiorum cum Pacificatoribus particeps fieri. Theodoſius, cæteroquin laudatiſſimus Imperator olim eo nomine excommunicatus eſt, quod pauca aliquot militum millia, lytro non ſoluto, hoſtibus necanda permiſiſſet. *Ablue manus cruentas ab innocenti ſanguine, priuſquam ſanguinem Domini accipias, inquiebat Ambroſius.* Is quid hoc ævo facturus eſſet, ſi daretur reviviſcere? Noſtri enim Pacificatores non unam Legionem bello captam negligunt: non unam aliquam provinciam devaſtant, ſed omnes Proteſtantium Ordines, quotquot illorum ſpatio decennii perfidi fieri noluerunt, & omnes eorum, eiſque confederatorum exercitus hoſtilis gladii mucroni objiciunt: univerſam Religionem ex cruento belli jure ſuſpendunt: totum Chriſtianiſmum novo bellorum diluvio replent: infinita innocentiſſimarum animularum millia ad Rhenum, Mœnum, Amaſim, Viſurgim, Albim, Nicrum, Viadrum & Danubium, gladio, igne, fame neci dant. Recordor mihi puero hiſtoriam lanienæ Pariſienſis anni 1572. primùm legenti artus obriguiſſe comaſque ſteτiſſe. Ea clades (quam nec eloquentiſſimus ille Muretus cunctis eloquentiæ ſuæ pigmentis Romæ, habita oratione gratulatoria, ſatis palliare potuit) ſi cum innumeris lanienæ Pragenſis malis comparetur, omnibus circumſtantiis ponderatis, apparebit tanquam muſca coram Olympo & ſilex reſpectu turris Babylonicæ. Ejuſmodi videlicet Heroes merentur, ut membris Eccleſiæ annumerentur, ejuſq; privilegiis utantur, fruantur & nomine Chriſtianorum gaudeant. *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum:* Ergo Pacificatores res ſua culpa depravatas, quantum in ſe, quoque reſarciant, ſi Deo propitio uti velint.

lint. Quod ſi enim juramenta infidelibus præſtita, ſub metu graviſſimæ Dei vindictæ ſervanda ſunt, quanto magis illa, quæ Chriſtianis, fideliſſimis ſociis, Religionis & politiæ oppreſſæ vindicibus, optimè meritis benefactoribus & maximam partem fidei conſortibus nuncupata ſunt, nos obligant. Quorum tanto major quoque reverentia eſſe debebat, quanto maturiori conſilio majorique zelo & devotione, tempore anguſtiarum concepta ſunt, quo Thillius Saxoniæ imminebat. Memorabile eſt Joſuæ exemplum, libri ſui cap. 9. ubi Dux & primores populi fidem Gibeonitis datam ſervant, quamvis populus Iſraël 1. dolo circumventus eſſet. 2. mandatum quoque divinum haberet, de Gibeonitis extirpandis. 3. juramentum etiam vergeret in proprium Iſraëlis damnum. 4. & hoſtibus præſtitum eſſet jam mancipatis. His omnibus non obſtantibus, laudi ducitur Joſuæ v. 26. quod Gibeonitas *è manu populi eripuerit, ideo, quia v. 19. per Iehovam Deum Iſraelis eis juraverant*. Quid agunt noſtri Pacificatores ex parte Saxonis? 1. Saxo ab Ordinibus Proteſtantibus conventu Lipſiaco non circumventus eſt, ſed ipſe eos in cauſa juſta & ſancta primus convocavit. 2. tanquam Elector vocationem & mandatum divinum habuit oppreſſam publicam Libertatem conſervandi & vindicandi, quod ipſum 3. vergit in Eccleſiæ & Reipublicæ commodum 4. quod ſe promoturum juravit non hoſtibus, ſed ſociis & fidei conſortibus: quos tamen omnes, neſcio qua fide non ſolum deſerit, nec Joſuæ exemplo ex aliena manu eripit, ſed & tyrannidi hoſtili objicit, quæ Saxonica defectione quaſi noviter armata, infinitas animarum myriades abſorpſit. Nec unquam Ciniflones Auſtriaci Lipſiacam Concluſionem eo nomine taxare poterunt, quod quippe contra caput Imperii concepta, legitima fuerit, ideoque Elector ſociis deſertis meritò redierit ad meliorem mentem. Capitis enim ſimilitudo (quam Pacificatores toties pompoſe crepant) extra ſuos terminos hic loci nihil valet. Capitis officii eſt reliqua membra juxta ſanam rationem, ad totius compagis conſervationem regere: & hactenus ductu ejus reliqua membra ſuaviter ſequuntur: Quod ſi inſanire, & in corpus ſævire incipiat, forti evacuatione ſuccurrendum eſt: hæc niſi ſufficiat, de toto compoſito actum eſt, citra cujus deſtructionem caput à ſuis membris ſeparari nequit: Aliter ſe res habet circa Corpora politica: Quod ſi caput furore & inſanabiliter tumultuari non ceſſet, eo remoto, aliud ſubſtitui poteſt, aliud ſubſtitui debet: extra capitis officium, nihil capitis rationem habet: Gratum eſt vinum, quamdiu à naturali

vigore

vigore & bonitate non defecit: quamprimum in vappam abiens fugere, aceſcere, & ilia corrodere incipit, effunditur: ita hic ſe res habet. Quamdiu ergo nemo diffitetur Romani Imperatoris inaugurationem & homagium ei præſtitum, Legum Imperii fundamentalium obſervantiam prę ſupponere: id quoq; ſole meridiano clarius elucebit: Ruptis ab Ipſo earundem legum fundamentalium Repagulis, & violatâ Conditione, (cui tota Electionis ſtrues ſuperędificata) ipſum quoq; conditionatum, ceſſare, & omnem Imperatoriam Majeſtatem, Reſpectum & obſervantiam concidere; adeoq; Electorem Saxoniæ, (Palatino tum temporis oppreſſo) reliquos Status legitimè convocaſſe, juſteque, piè, & heroicè egiſſe, quod Ferdinandi legum fundamentalium everſoris, & Pacis publicæ continui perturbatoris & totius Imperii vaſtatoris, iniquitates & tyrannidem Conventu Lipſiaco non ſolum graviter taxarit, ſed eidem etiam legitimis mediis ſeſe oppoſuit. Vtcunque ergò vel Gnathones Auſtriaci factum pallient, vel Saxonici Pacificatores ſibi ipſis blandiantur, & ſedifragium ſuum frigido Pilati Balneo abſtergere conentur, conſcientia tamen reclamabit, effuſus ſanguis innocentiſſimus, toto Imperio in cœlum clamans, tot millia gementium orphanorum, viduarum, & exulum; lachrymas, ſuſpiria & gemitus agminatim & ſine intermiſſione verſus nubes mittentium, coram Deo, S. Angelis, hominibus & Eccleſia eos accuſabunt, vindictam imminentem citato greſſu accelerantes. Huc facit memorabile exemplum, quod Platina refert, de Theodorico Veronenſi Rege Gothorum (Dieterich von Beren.) Is multis rebus ſumma crudelitate patratis, integerrimos quoque & omnibus acceptiſſimos Conſules Symmachum & Boetium è medio ſuſtulit. Nec emanſit Nemeſis divina. Conſcientia tandem evigilavit, quâ dum Rex excruciaretur, *non ſine Numine contigit, ut menſæ regiæ caput ingentis piſcis apponeretur. Quo conſpecto Theodoricus, ſibi videtur detruncatum Symmachi caput in patina cernere, quod linguam continuò motitans, ipſum cædis autorem accuſet: unde in tantas furias actus eſt, ut nuſquam conſiſtens, nuſquam requiem aut ſolatium inveniens & nuſquam acceptus, brevi poſt infelicem animam exhalarit.* O Symmache, Symmache, quot linguæ innocentiſſimorum civium, quot capita fortiſſimorum militum, quot fideliſſimorum Sociorum ſolennes Tabulæ, quot agmina imbellis turbæ, perfidâ hac perſecutione ſublatæ, indeſinenter ſuæ cædis autores accuſant, ut Saxonicis Pacificatoribus non aliud remedium ſuperſit, niſi pari furore juſtiſſimi judicii divini tanquam igne conſumente abripi velint, quam ut commiſ-
ſum

ſum crimen agnoſcant,ſeriaque humiliatione, fletu & gemitibus apud Deum deprecentur,vias,conſilia & actiones priores mittant,& accuratè diſpiciant, qua ratione tantā maculam eluere & Eccleſiæ tam graviter offenſæ reconciliari queant. Quodſi enim uſquam,certè in hoc tanto negotio, è quo ſalus & conſervatio totius Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ pendet,Deus nunquam impunè ridebitur. Quod olim ſuo cum exitio expertus eſt Ladiſlaus Rex Hungariæ, qui anno 444. decennales inducias cum Amurate Turcarum Tyranno pepigerat,ſolenni utrinque juramento confirmatas. Eas, ut data occaſione Ladiſlaus rumperet,Eugenius Papa ejuſque Legatus Cardinalis Julianus autores illi fuere. Re tandem ad arma delatā,pugnatum eſt ipſā feria S. Martini. Acies itaque dum ex Turcarum parte nutaret, Amurates præalta voce in ſequentia verba erumpit: *O Ieſu Chriſte! an hæc ſunt fœdera,quæ Chriſtiani tui per nomen tuum jurantes mecum percuſſerunt, ſuoque perjurio te Deum ſuum abnegarunt. Quare ſi Deus es, ut ipſi ajunt,hanc & mihi & tuo S. Nomini illatam injuriam ulciſcere. Quibus dictis pugnā reſtauratā,Turca victor evaſit,Juliano in fuga,Ladiſlao in palude occiſo,cujus caput perticæ affixum ludibrii cauſa circumportatum eſt.* Quodſi ergo Deus perfidiam erga infideles commiſſam tam graviter ultus eſt in Rege, qui ignorans, à Papa ſeductus ex bona intentione peccavit, quanto minus inultam dimittet perfidiam in fidei conſortibus ſcienter perpetratam,cui non promiſcuum ſolummodo vulgus per omnem Saxoniam, ſed ipſæ etiam Academiarum Cenſuræ reclamarunt. Sed Dictatores cantilenam illam Epicuri hîc ſibi ſuaviter canunt. *Deus non audit,Deus non videt: quinimo diffitentur,perjurium hic uſquam à ſe commiſſum eſſe: quòd juramenta in confirmationem Lipſiaci & Suecici fœderis præſtita, tenore Decretorum Pragenſium abolita & à ſe reſciſſa ſint. Sed viciſſim ego regero. Id ipſum eſſe datam fidem violare,quando mutua promiſſa ſine alterius partis conſenſu non ſine magno ipſius damno & jacturâ retractantur.* Tum etiam bonos illos viros rogatos velim,ex cujus poteſtate id facere potuerint? An per ligneum Rolandum,an per nomen lapidei Stephani, an pictis hominum umbris Saxo juramentum fœderis præſtiterat? Qui tacendo ad ejuſmodi relaxationem connivere potuiſſent? Sed per Deum vivum & incarnatum ejus VERBUM juravit, in ſanctiſſima oppreſſæ Eccleſiæ & Reipublicæ cauſa, idque omnibus Proteſtantium Principibus & Ordinibus: qui omnes, quod injuſtitiæ Decretorum Pragenſium non acquieturi videbantur, ſuper juramenti hujus relaxatione, non plus rogati ſunt quam ſuper integra-

Digitized by Google

tranſactionis iſtius fabrica. Novimus quanti Wilhelmus Haſſiæ Landgravius Caſſellanus (Reformatorum in Conventu Lipſiaco caput) in oculis Saxonicis fuerit, non Religionis ſolum, ſed & cauſæ Darmſtatinæ ratione. In caſu tamen neceſſitatis ejus confœderatio hæreditaria perquam opportunè ſuccurrebat. Sed quid respondebitur tot centenis neglectis Euangelicorum Eccleſiis, per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Palatinatum, urbes Imperii & non minutim miſerrimam Auguſtam? quibus partim vinculo communis fidei, partim Lipſenſi fœdere obſtrictus erat? Ferdinandus ipſe, quamvis multiplici juramento Sedi Apoſtolicæ obligatus, vix tamen crediddiſſet, inconſulto Pontifice ſibi licere contra manifeſtum Dei mandatum de jurejurando diſpenſare, niſi perſuaſiſſimus fuiſſet, *propter Imperium quidvis licere:* quapropter, cæteris paribus, hic quoque tanto minor labes ei imputari poteſt, quanto paucioribus ex ſuæ partis adhærentibus perfidiæ autor extitit. Quis autem Saxones hic ſatis mirari poterit, qui ex fidei ſuæ Principiis in tam ſancta oppreſſæ Eccleſiæ & publicæ libertatis cauſa longè diverſum de Religioſa jurisjurandi obſervantia edocti erant, adeoque illud non magis infringere potuerunt, quam modo cognoſcant, an hoc meum pulpitum quernum ſit an fagineum? Et tamen juramentis atque abuſu Nominis Dei in re tam ſeria non aliter ludunt, quam pueri trochis & chartis. An non itaque ſummo jure de ipſis & ipſorum Decretis Pragenſibus cum Zachariâ Prophetâ ſupra citato cap. 5. exclamare poſſis? Quod ſesquiulnale *Diploma Pacificationis Pragenſis ſit Maledictio exiens ſuper omnem Regionem: qua omnes quidem fures & perjuri* (ex mente Decretiſtarum) *abſolvantur*; cum Deus interim ſupra Domum furis & perjuri producturus ſit ſuum judicium, quod lignis & lapidibus ejus ruinam & excidium minetur?

Duodecimò. Quamvis virum bonum tetragonum, mendacem autem memorem eſſe deceat, hujus tamen Maximæ Pacificatores non ſatis fuere memores, quod docet ipſorum falſitas & inconſtantia. Manifeſtum enim falſi crimen committentes, adeò deliri fuere, ut falſiſſimæ ejus aſſertioni diverſis vicibus alibi contradixerint. En ipſorum prudentiam! dignam omninò, quæ ab Electore Moguntino commendetur, quod munere Cancellariatus Imperialis (in quo Romanæ Majeſtatis anima conſiſtere debebat) tam probè defuncti ſint, ut Archivum Imperii falſitatibus, poſteritatem mendaciis onerarint,

ipſiuſ-

ipſiuſque Electoralis Collegii (cæteris paribus) inviolabili autoritate, ad manifeſtam falſitatem utcunque colorandam turpiſſimè ſint abuſi. Primò fundamentum totius ſuæ Pacificationis in tranſactione ſuper bonis Eccleſiaſticis collocant, quorum reſtitutionem Ferdinandus minabundo mandato & manifeſto Marte anno 29. moliebatur. Huic Saxo Conventu Lipſiaco ſeſe opponit, idque bello juſtiſſimo. *Falſitas ergo fœdiſſima eſt, quod alibi Fridericum Bohemiæ Regem primarium illarum turbarum autorem nominant, cum tamen turbæ illæ ob bona Eccleſiaſtica toto decennio ſerius exortæ ſint, quam ipſe à Bohemis vocaretur, idque eo tempore, quo nec unum ſacellum in Imperio, nec unum militem uſquam reliquum habuit: quod toti mundo eſt notiſſimum.* Bello Bohemico Saxo ſtabat pro Ferdinando ad everſionem Bohemicæ & Imp. libertatis contrà proprios fidei conſortes, nō ſine diminutione Electoralis præeminentiæ, Commiſſarium Auſtriacum agens, hic cum Ferdinando publico hoſte paciſcitur : *Ad hanc falſitatem accedit diabolica malitia & impoſtura, quod juſtiſſimam præſentis belli & Lipſiacæ Reſolutionis cauſam pervertunt, eandemque, ad conflandam invidiam, Friderico imputant & Bohemicis motibus admiſcent: cum tamen Pacificatores alibi totum Bohemicum Negotium, & quicquid ab eo dependet, ab hac Pace (& conſequenter contrario à bello ob bona Eccleſiæ ſuſcepto) atque ipſa amneſtiâ, tanquam peccatum irremiſſibile, & rem jam antè confectam excludant. Adde quod Catalogo Damnatorum, Dnn. Comites* N. N. *disertâ parentheſi inter* RECIDIVOS *numerent, quod Bohemicis Negotiis prius intricati fuiſſent, ſolâ illa præpoſitione* RE *ipſi confitentes, diverſum fuiſſe bellum Bohemicum, ab illo præſenti. Alioqui enim, in eodem, genere & numero peccato, neque duplici venia, neque iterata pœna opus. Implicitè ergo Pacificatores ipſi negant id, quod explicitè ajunt, videlicet Fridericum primarium hujus belli autorem fuiſſe.* Majori candore reſponſum eſt, ad cauſas belli à Rege Chriſtianiſſimo ſuſcepti, nuper editas, ubi Rex manifeſtè hoc nomine ſugillatur, quod iis nimium faveat, *quorum manibus arma eripere deberet, quibus Patrimonium Chriſti id eſt bona Eccleſiæ ſibi vendicent.* Sed tutius fuit jacentem Fridericum, & oppreſſam Palatinæ familiæ juſtiſſimam cauſam nova calumnia gravare, ſuam injuſtitiam fucato alieno pallio contegere, larvato falſo prætextu *veram belli cauſam pervertere, & manifeſta falſitate ſub ampliſſimi Electoralis teſtimonii perverſo allegato, præſenti & futuræ ætati imponere*, quam fontem fatalis hujus belli ſuper humeros Ferdinandi, veri ſui autoris relinquere. Habent hic Pacificatores, quod in Franciſco Zypæo Protonot. Apoſtolico, Vindice ſuo candorem il-

Digitized by Google

lum carpant, quo Hiatus ſui obſtructi pag. 359. manifeſtè criminis falſi eos convincit: his verbis: At Palatini negotia 1. *jam quaſi confecta erant*, quando Comitiorum Mulhuſiorum querelis compulſus Imp. edictum promulgavit, 6. Mart. 1629. ut ſola in Imperio Religio Catholica & Confeſſio Auguſtana juxta tractatum Paſſavienſem publicè exerceretur, excluſis aliis Sectis atque Dogmatibus: &c. Deinde ut & bona &c. reſtituerentur. 2. TUM porrò illi, qui pridem harum opum ſucco vixerunt, conſpirare & turbare omnia 3. COEPERUNT. Et tandem: Manet ergo BELLUM iſtud 4. EX EDICTO MOTUM Religionis fuiſſe: Viderint hic Pacificatores, quomodo Zypæi veritatem hiſtoricam cum impudentiſſimo ſuo mendacio concilient. Sed nec illud veritatis aliquam ſpeciem habet, quod Fridericus unquam Bohemicorum motuum autor extiterit. Nondum enim tantùm temporis ſpatium effluxit, ut homo viginti quinque annorum recordari nequeat, ædificationem templorum Bohemis jam tum prohibitam, literas Majeſtatis violatas, eoſdemque hoc nomine armatos fuiſſe, priuſquam Fridericus vocatus, ſuaſu Unionis ſe iis conjungeret: infelici quidem hactenus eventu, non tamen ideo injuſto quoque inſtituto: cujus cauſam divina ſapientia ad tempus voluit opprimi, ut ſuo exemplo omnium tam exterorum quam Imperii Principum ſomnolentiam excuteret, & cunctos ad vigilantiam atque virtutem excitaret, ne Auſtrio-Hiſpani eum quam in ipſo orſi ſunt telam, in reliquis omnibus tandem pertexerent.

Quemadmodum autem omnes eos, qui verecundiæ fines ſemel ſunt egreſſi, gnaviter impudentes eſſe oportet: ita & Pacificatoribus non ſatis fuit, manifeſto mendacio jacentem Fridericum oneraſſe; ſed & intolerabili impudentiâ de Auguſto Electorum Collegio tum abſente falſum teſtimonium fuit perhibendum, in cauſa ipſorum præeminentiam & famam ad poſteritatem vel maximè concernente, cui Pacificatores æternam negligentiæ, inconſtantiæ & injuſtitiæ maculam affricare non ſunt veriti; quaſi illi Fridericum primarium hujus belli autorem unquam agnoviſſent. Increpet te Deus, Satan, & quiſquis minus quam ipſe Satan ad mendacium tantum erubeſcis. Quis diffitebitur hunc & illum Eccleſiaſticum Electorem circa Friderici remotionem idem cum Auſtriacis cornu inflaſſe? Num ideo & idem fecit totum Electorale Collegium? An quia Judas fur ſimul & proditor? Ideò & tales omnes Apoſtoli? Verbis clariſſimis & ſole manifeſta-

nifeſtioribus contrarium teſtatur Electorum Saxoniæ (nimium quantum hic mutati ab illo:) & Brandeburgici, ut & aliorum Imperii Principum proteſtatio, Ferdinandi petitioni anno 23 Ratiſbonæ oppoſita, cum Ferdinandus injuſtam Tranſlationem Electoratus in Bavarum ratam haberi ab Ordinibus petiiſſet. Eo ipſo conteſtatum faciens, ſui juris non fuiſſe citra Ordinum conſenſum proprio motu de tantâ Imperii colliſione diſponere. Cui maſculè reſponſum: Tranſlationem iſtam contrariam eſſe Conſtitutionibus Aureæ Bullæ, Legibus Imperii fundamentalibus, Declarationi Sigiſmundi IV.&c. & porro Palatinum non citatum, inauditum, indictâ cauſa condemnatum eſſe: CUM TAMEN IPSE TURBARUM BOHEMICARUM AUTOR NON FUERIT, &c. quam proteſtationem Saxo, tam ſub ipſa Conditionata Bavari ad Collegium admiſſione, quàm poſt illam ad Pragenſe uſque Delirium ratam ſemper manere voluit, utrum itaque hæc publica Comitiorum Acta; an Duumviralia Pacificatorum in ſempiternum Electorum dedecus vergentia mendacia fidem mereantur, præſens & futura ætas judicet. Num injuria hic aptaveris gentium illud Doctoris? *Cretenſes* (adde Pragenſes) *ſemper mendaces.*

Decimo tertiò: Ea quæ hactenus allata ſunt, communiter fermè omnes attinent: progrediendum jam eſſet, ad ea quæ damnum cujuſque Status in ſpecie concernunt. Sed cum Prodromus noſter eam molem non ferat, brevitati ſtudentes, unico exemplo Celſiſſimæ Domus Caſſellanæ ſparſim allegato, hac vice contenti erimus, cujus intuitu quilibet de reliquis Statibus conjecturam facere atque de totius Rei ſumma & æquitate judicare poſſit. *Singularis ergo Dei præſentia qua tum Proteſtantibus eorumque ſociis in genere, tum inclytæ Domui Caſſellanæ in ſpecie toto præſentis belli tempore, ſub tot & tantis ejus Revolutionibus miraculosè & gratiosè ſemper adfuit, ab iniquiſſima Decretorum Pragenſium approbatione conſtantiſſimam Domum Caſſellanam dehortari debebat.* Licet enim divina juſtitia multitudinem peccatorum noſtrorum, imprimis S. Euangelii contemtum & promiſcuam ſecuritatem plectens, & hoſtibus quoque ac deſertoribus ipſis tempus & locum reſipiſcentiæ largiens, res Proteſtantium aliquoties permiſerit nutare, ut puſilli corde de ſalute publica jam plane actum & conclamatum eſſe putarent: ſi tamen integrum belli filum contemplemur, omninò fatendum erit, communem eorum cauſam in ſummis etiam periculis, ſingulari curæ Deo

ſemper fuiſſe. Potuiſſet Ferdinandus II. pace cum Daniæ Rege confirmata, pro votis regnare & pro lubitu agere: modò mitius & lentius egiſſet. Sed juſto Dei judicio in reprobum ſenſum traditus, nova Circulorum inferiorum oppreſſione, multarum Eccleſiarum Reformatione, Megapolenſium ejectione, mariſque Balthici affectato Dominio, novum ſibi ab Aquilone caſtigatorem attraxit, baſes ſecuritatis Septentrionalis attentando. Cruces B. & Aquilas Imperiales Boruſſiæ immittendo, bellum Polonicum ſuum quoque faciendo, Legatos regios viliter habendo, literas regias ad exteros Principes intercipiendo, &c. Hac data occaſione Guſtavus M. jacentem Germaniæ Libertatem quaſi è mortuis reſuſcitavit, Religionemque magnam partem exulantem, de reliquo ubique nutantem, reduxit, ut ejus virtutem nunquam intermorituram (utut ei mancipia Auſtrio-Hiſpanica invideant) non ipſi ſolum Sueci & probi Germani, ſed exteræ quoque Nationes nunquam non celebraturæ ſint. Cui venienti *Hoſianna* ubique ab Ordinibus oppreſſis acclamabatur. Eo jacente, ſaluberrimo & ad omnem poſteritatem prædicando & imitando recuperandæ libertatis exemplo, Proteſtantes in ſuperioribus & inferioribus Circulis, Archi-Cancellarii Oxenſtirnii manuductione, ſeſe mutuo fœdere obvinciunt, ubi fomes Euangelicorum interitûs, Religionis diverſę ſimultas, tantum non ſublatus eſt: nec media defuerunt, rebus in integrum reſtituendis. Sed nova peſtis ab eo loco ſerpere & graſſari incipit, ex quo vel maximè ſalutem, conſilium & opem Proteſtantes exſpectare debuiſſent, Matre nimirum olim Religionis, Electoratu Saxoniæ. Ubi præfati D[ni.] Magni Cancellarii Directorium concoqui non potuit, quod tamen ejus Excellentia Electori prius coram prolixè obtulerat, quando poſt ſui Regis exceſſum præſens de ſalute publica cum eo communicavit: ubi Elector id oneris detrectans, commendata Magni Cancellarii virtute, memorabiliter hæc protulit: *Regem defunctum duabus vicibus ſibi ſuiſque provinciis ſuccurriſſe fidelitatemque regio quoque ſanguine obſignaſſe, cujus beneficii nunquam oblitu rus, & viciſſim Coronæ Suecicæ quovis poſsibili modo gratificaturus ſit.* Egregia quidem verba, & ſpecioſæ promiſſiones: ſed malè cum iis concordat Pragenſium *Crucifige.* Durante Conventu Lipſiaco ſæpius de cathedra ſonabat illud Eſaiæ cap. 32. v. 8. *Principes Principibus dignas cogitationes habebunt, iiſque conſtanter inhærebunt.* Ejus moniti hîc recordari oportuiſſet, ſed mundus agit pro more: ita quoque Saxo promiſſi ſui & boni publici oblitus, peculiarem Pacificationem

cum

cum Cæſareanis ſuſcepit, quâ durante, ſub ipſam adhuc concluſionem ad Urbes Imperii ſcripſit, Se de omnibus neceſſariis cum iis communicaturum, interim eas medium digitum oſtendendo, tamdiu vanâ ſpe lactavit, donec decendiales laquei omnibus injicerentur; cauſa publica, ipſo præeunte à pleriſque dereſeretur, & confederari Lipſiaci non minus quam exteri præter datam fidem in ſummas difficultates conjicerentur. Neque tamen hîc Deus cauſæ ſuæ defuit. Uno enim in loco armis Suecicis benedixit, ut clade Witſtockiana vires Cæſarianæ contererentur, altero Lotharingia maſculè defenderetur, tertio miles Landgravianus loca propria tueretur, hoſtilia occuparet. Nova calamitate, ex annonæ penuria Miles Suecicus Cæſareanorum, Saxonicorum, Brandeburgicorum & Darmſtadinorum numeroſâ Conjunctione preſſus, ad oras maris Balthici ſeſe recipit: utiline magis an neceſſario ſtratagemate ignoro. Ubi juſtæ & opportunæ è Suetia ſuppetiæ & commeatus in promptu. Viciſſim exercitus Ligiſticus per tractum Pomeraniæ & loca vicina fame & omnium rerum penuria colliqueſcit: ut Banerius ſupremus Coronæ Legatus tanquam alter Fabius ſola cunctatione res federatorum tum reſtituerit. His divina clementia ſuperaddit ingeminatas ejuſdem ut & Ducis Vinarienſis victorias: quibus Rex Chriſtianiſſimus, res Sociorum forti ubique brachio ſuffulciens, in laudatiſſimo non minus quam neceſſario propoſito confirmaretur. Dum ergo Liga cum his duobus potentioribus hoſtibus colluctatur, Copiæ Landgravianæ neceſſaria quiete refectæ ſunt, & triumphus univerſalis, quem Auſtriaci ex Pacificatione Pragenſi de Statibus Imperii ſibi polliciti fuerant, in fumum abiit. Novo malo Elector Palatinus, ex gravibus præſentis ſui Status rationibus nulli hactenus federi ſubſcribens, in expeditionis initio, & ipsâ quod dicitur herbâ ſyderationem patitur, cladeque illatâ & D^ni^ Fratris captivitate monetur, ut arctius in futurum ſe communi Sociorum corpori jungat, *& unam cum iis Trojam ædificet*: cum *rebus feſſis*, *ſoli vix conſiſtant*, *qui rebus integris aliorum* fulcro caruiſſe nequiverunt. Nec ſine numine (quod ferme ſemper per contraria agit) nova illa calamitas eo ipſo tempore rem Palatinam concuſſit, quo inquieta ingenia Eccleſias Anglicanas & Scoticas eum in modum turbaverant, ut res jam ad arma eſſet delata. Duplici ergo malo domi foriſque objectus Rex Angliæ, hoc quaſi divino monitore è ſomno excitatus eſt, ut tandem turbulentis illorum conatibus obviam iret, alaſq; eis præcideret, qui plus rebus Hiſpanorum quam ipſius pro-

prio

Digitized by Google

prio ſanguini & nepotibus conſultum vellent. Inteſtini diſſidii commodiſſima materia, organis illis Hiſpanicis viſa eſt Religio. Hic modò hoc, modò illud contra Chriſtianam ſimplicitatem innovandum; tum gliſcenti incendio oleum indies affundendum: controverſiæ ſtatus mutandus, defenſio veritatis, rebellionis titulo traducenda, periculum Regiæ ſuperioritatis fingendum, ut Rex domi occupatus, nepotum ſuorum oblivîſceretur, & à negotiis R. Imperii, ſocioque Proteſtantium fœdere abſtraheretur, donec minæ Legati Arondelii in ventos abirent: & incolæ Britannicarum Inſularum, horrendum dictu! unius fidei conſortes, ex illorum hominum voto invicem committerentur, ſanguis regnicolarum bello inteſtino, mutuiſq; vulneribus ruens fluens, ſe ipſum perditum iret, qui ſtimulis naturæ, communis Patriæ amore, fidei unitate, vicinorum Principum exemplo exſuſcitari debebat, ad lites non neceſſarias domi ſepeliendas, ſociamque manum & vires communi Federatorum Intentioni admovendas, ne Factio Hiſpanorum, quam primum prævaluerit, idem tentaret in Rege Angliæ, quod modò in regiis nepotibus. Sed acquieſcamus & hîc occultis Dei viis & judiciis; cum ſingularem ejus providentiam & bonitatem alibi tanto fulgidius coruſcare videamus. Quorſum & illud refero, quod nuper Rex Chriſtianiſſimus beneficio verè divino & ferè admirabili in belli hujus continuatione confirmatus ſit, prole deſideratiſſima poſt tot annorum exſpectionem gratioſè conceſſa. Cum enim res Gallorum & quicquid ab iis boni ad reſtituendam Germaniæ Libertatem proficiſci poterat, à pauciorum oculis pendere viderentur, Deus hîc quoque bono publico non defuit, ne unius hominis fragilitate, præſens florentiſſimi Regni Harmonia tolleretur, ſed hæreditario jure, unà cum avitâ & patriâ virtute ad ſobolem propagaretur. Quid Galli eorumque Socii ex hoc Natali ſibi polliceri poſſint, exempla ſacra Iſaaci, Jacobi, Joſephi, Samuelis, Simſonis, & Johannis Baptiſtæ demonſtrant: qui omnes ex ſterili per multos annos conjugio nati, ardentiſſimis potius parentum precibus, quam curſui naturæ accepti ferendi, & ad extraordinaria illa opera, ad quæ Deus eos deſtinaverat, in utero materno ſanctificandi fuere. Quodſi ergo D^na. Vidua Caſſellana præſentiſſimam hanc Dei providentiam toties hoc bello experta eſt, ejus certè pietas & animus ſupra ſexum conſtans & generoſus, nunquam tantum ſpecioſis aliorum ſuggeſtionibus concedere poterit, ut vel ex puſillanimitate, vel manifeſta in Deum ingratitudine quippiam committat, quod famæ hactenus acquiſitæ minus ſit conveniens.

Decimò

Decimoquartò: Cum Decreta Pragenſia eam Religionem, quam Celſiſſima D. Vidua Caſſell. profitetur, manifeſtis periculis, quin imò plenariæ è R. Imperio excluſioni objiciant, inde liquet, quod neque Ipſa iis ſubſcribere, neque aliis fidei ſuæ conſortibus, ut idem agant, bona conſcientia inſtigatrix eſſe poſſit. Electorali enim Domo Palatinâ, furiis oſorum ſuorum ad præſentem ſtatum redactâ, Imperiales Reformati ſummum (ſecundum Deum) aſylum jam habent in virtute Domus Caſſellanæ, quæ licet Principe ſuo nuper juſto maturius, Deo ſic volente ſit orbata, ei tamen reliqua facta eſt Heroina, omnibus dotibus ad regendum neceſſariis inſtructiſſima, de qua merito allegare poſſim illud Eſther 4. v. 14. *Fortè tu ipſa propter præſentis calamitatis tempus ad regimen evecta es.* Licet itaque hoc tempore Amazones manu ſtrenuas rarò videamus, ſacrarum tamen Heroinarum priſcis exemplis Sua Celſitudo animari debebat, ad tantam cauſam nunquam deſerendam aut remiſſius tractandam. Tales fuere Miriam ſoror Moſis, Jael, Debora, Judith, cum primis prædicta Eſther, quam Mardochæus ſupra allegato capite quam graviſſimè adhortatur. *Ne cogites te ſervaturam eſſe vitam tuam, quod ſis in domo Regis* (quod ſis Domui Auſtriacæ reconciliata) *præ aliis Iudæis* (fidei conſortibus) *quod ſi enim tu ipſa hoc tempore ſilueris* (cauſam tuæ Religionis neglexeris) *Iudæis ex alio loco auxilium & liberatio exorietur: tu autem & Domus patris tui peribis.* Nec ſuæ Celſitudinis memoriam fugit fama & nunquam intermoritura gloria Eliſabethæ Angliæ Reginæ, quæ verè Regem agebat ſub ſexu fœminino. Quamvis autem Sua Celſitudo faſtigii ratione illi non undiquaq; æqualis ſit, præſentis tamen cauſæ conſtans defenſio, apud poſteritatem ei non minorem laudis acquirendæ materiam ſuppeditabit, quam olim prædicta Eliſabetha ex Religionis reſtauratione, & Belgicorum Ordinum patrocinio reportavit: ea Regina, cum Ordines, patrum noſtrorum memoriâ ſe protectioni Ipſius committerent, Legatis Ipſorum laudabiliter reſpondet: *Regibus & Principibus nihil laudabilius eſſe, quam oppreſſis aliis ſtatibus opem ferre, eoſque in protectionem ſuſcipere, ſalvis tamen ipſorum privilegiis*: unde ex oppoſito liquet, nihil quoque turpius eſſe, quam oppreſſam patriam, quæ tanta alacritate ab exteris defenditur, & preſſos fidei conſortes contra datam fidem deſerere, idque eo ipſo tempore quo privilegia ipſorum maximopere periclitantur. Maximilianus Auguſtus id habebat in: *quod cœli arcem invadant, qui conſcientiis imperare velint*, quo ipſo Hiſpanicam Inquiſitionem & Albani tyrannidem

dem deteſtabatur, Religioniſque Autonomiam probabat, quæ in Imperio ad Ferdinandi ferrei tempora obtinuit. Ea Autonomia Decretis Pragenſibus & mandato reſtitutorio anni 1629, quoad Reformatos planè ſublata eſt. Licet enim ſub Euangelicorum vel Confeſſioniſtarum Auguſtanorum nomine, ex interimiſtica Decretiſtarum gloſſa comprehendi fingantur, ea tamen gloſſa & ejus fingendæ occaſio, non aliundè profecta nec alio fine ſuſcepta eſt, quam quod Pacificatores, majorem propenſionis gradum erga Lutheranos quam Reformatos ſimulando & credendo, amborum ſeparationem quæſiverunt. Ideò Lutheranis perſuaſum eſt, ſecum multo melius actum iri, quippe Pacis Religioſæ capacibus, & ejus Formulæ Diſertis verbis comprehenſis, quam cum Reformatis: qui penitus excluſi ſint, & ex merâ miſericordiâ tolerentur: cum tamen utroſque tandem eodem lixivio dealbaturi, & prima data occaſione pariter eliminaturi ſint: Reformatos primò, tum & alteros, brevi ſubſecuturos, niſi Deus conſilium Ahitophelis in ſtultitiam convertat. Hoc nimirum fine Nomen Proteſtantium è Formula expunctum, quod non ſolum publicum & ſolennem à Papiſticâ Religione diſſenſum, atque Proteſtationem Spirituali Reſervationi oppoſitam ſemper in memoriam revocaret, & prolixas ſuſpectaſque Juris conſequentias redoleret, ſed etiam Reformatis publicum coram mundo teſtimonium perhiberet; eos non ſolum Pace Religionis ſemper antehac comprehenſos, ſed & Directionem ex parte Proteſtantium in publicis Comitiis eis conceſſam fuiſſe: cujus rei luculentiſſimus teſtis eſt Burkardus JCtus in ſua Autonomia, hoſtis cæteroquin Reformatæ Religionis acerrimus, cujus teſtimonium tanto minus ſuſpectum, quanto firmiori fulcro Praxis & experientiæ publicæ ſuperiorum annorum innititur. Sed aliud adhuc malum Reformatis præmeditatum eſt: dum enim loco Proteſtantium, vel Euangelicorum, vel Auguſtanæ Confeſſionis Nomen ſubſtitutum, eadem etiam opera materia ſuppeditata eſt, qua non ſolum *acerba illa lis, cum ſummo Auſtriacorum jubilo foveatur, quæ à turbulentis ingeniis olim eis mota eſt: an videlicet Pacis Eccleſiaſticæ capaces ſint nec ne? Sed manifeſta etiam via & janua ſuppeditata, per quam ſucceſſu temporis prorſus excludi, de ponte præcipitari, atque ad Sauromatas ultra glacialem Oceanum relegari poßint, ubi nec Auſtriacorum benigna voluntas, nec liberalis Saxonis conſenſus ulteriori eorum promotioni defuturus, ut Domus Auſtriaca fructus è Palatinatu perceptos, Palatinorumque ſumptus bellicos & alias prætenſiones*

ſiones in regnum Bohemiæ tantò penitiùs jugulet, regionemque ſuam ad Onaſum à jure Bavari hypothecario liberet, Palatinatu ad Rhenum in vices illi collato: Saxo cum genero Darmſtadino exuviis Reformatorum, Luſatiâ, Principatu Marpurgenſi, Partibus Electoratus Palatini, Comitatu Yſenburgico, Solmenſi &c. tanto ſecurius frui, viciniſque reliquiis tanto commodius potiri, & tandem ceu vacca Lupi indolem edocta, paſcua caprarum (Ziegenhain) *ſolus, ex voto diuturno depaſcere poſſit, ſuper quibus denuò litem Domui Caſſellanæ movere vix ſuperſedebit.* Cogitet hîc inclytum Regimen Caſſellanum, qualiter Religioni & Eccleſiis ſuis hîc proſpectum ſit? Dicat quiſpiam me neſcire quam ampliter, luculenter & pluſquam ſuperabundanter Ferdinandus ſe ea de re cauturum receperit. Illi reddo, quod

Fiſtula dulce canat, volucrem dum decipit auceps.

Tranſigat Celſiſſima Domus Caſſellana cum Archi-Cancellario Imperii, nomine Ferdinandi, eumque non recognoſcat ſed vel agnoſcat vel habeat pro Superiore: & communem illam Hiſpanorum Maximam brevi ſuo quoque exemplo confirmabit, videlicet, *Promiſſa Principum rebellibus ſubditis facta, non ligare.* Intueatur inclytum Regimen praxin Belgicam: *Pacificationem Gandavenſem, & eandem ſubſequens Edictum perpetuum.* Hæc omnia regio quidem nomine ſolenniſſimè confirmabantur, ſed tanti erant roboris quanti nix ſub ecliptica, quanti umbra, Sole punctum verticale occupante. Anno 82, dum Parmenſis (cæteris Gubernatoribus alioqui mitior) militem externum in Hannoniam & Arteſiam reducere decreviſſet, & initi prioris contractus admoneretur, qui diverſum jubebat, reſpondit, *pacta ea ſpe inita fuiſſe, quod reliquæ Provinciæ omnes ſe Regi denuò ſubmiſſuræ judicarentur: id dum non ſucceſſerit, milite iſto denuò quoque ſibi opus eſſe.* Eadem ſpes jam concepta erat de Gallo & Suecis compeſcendis: quæ ſpes quandoquidem hactenus fefellit, ea propter & Ferdinandus ſe à promiſſis liberum putabit. Don Juan de Auſtria, dum in conſimili caſu anno 577. contractus obſignati admoneretur, judicabat: *Ordines ſuam ipſius prudentiam potius commendare, quam de hoc conqueri debere, quod pactorum læſione commodum Regis promoveret.* Mendoza admirans Arragoniæ ditiones Juliacenſes & vicinas miſerrimè depopulabatur, nihil quicquam obſtante, quod pactis Gallicanis diſertiſſimis verbis comprehenſæ eſſent: nec diffitebatur, ſe promiſſorum rationem non habere, modo id è re ſui Regis eſſe agnoſceret. Albertus anno 607. militibus Dieſtanis plenariam veniam conceſſerat: quos tamen poſtmodum citra

diſcrimen trucidari juſſit, viginti quinque coronatis in caput cujuſque conſtitutis. *Hiſpanus ſub induciarum Belgicarum initium fœderatos Ordines liberos & ſui juris apertiſſimè publicis Tabulis declaravit. Elapſis induciis quid agat, orbi notum eſt.* Sed calent in Germania noſtra, tranſactio Ulmenſis cum Bavaro, Conventio Moguntinenſis cum Spinola : & promiſſa toties Angliæ Regi facta in cauſa Palatina. Undique in fronte candor, fraus & falſitas à tergo. Ut juſtiſſimè olim dixerit Ludovicus XII. Rex Galliæ : *Pœnorum & Chartaginenſium perfidiam quondam celebratam fuiſſe, hoc ævo Hiſpanos eorum vices abundè ſupplere. Quibus ipſis etiam præſens Electoris Saxoniæ lapſus aſſcribendus eſt, ex Regula: quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati. Nec Nationi imputari debet, quæ factum tantum deteſtatur, quippe non tam ab Electore, quam ab Electore malè informato, & corrupto Conſilio profectum.* Non poſſum non in gratiam Proteſtantium adducere Philippi II. exemplum. Is dum Antonium Luſitanum oppugnaret, præcipuos Regni proceres magnificis promiſſis flexit, ut legitimo Domino deſerto, ſuas partes ſectarentur. Qui, cum Regno Philippi confirmato, promiſſa ſibi facta urgerent, hoc reſponſi tulerunt: *Philippum aut legitimum ipſorum Regem eſſe, aut non : ſi legitimus Rex ſit, eos omnes feudi nomine ei obligatos, nec quicquam eis deberi : ſi minus ſit legitimus, ipſos eundem ad ſceptrum promovendo perfidè & proditoriè egiſſe, eoque ipſo vitæ & bonorum jacturam incurriſſe. Ex regia itaque gratia & clementia eis licere, ut diuturniori lucis uſura fruantur.* Parem gratiam reportabunt omnes Decretorum Pragenſium approbatores, quam primum Ferdinandus thronum ſuum confirmatum ſenſerit. Hæc itaque & ſimilia veſtigia Proteſtantes in genere, & inclytum Regimen Caſſellanum in ſpecie terrere deberent, quod quanto majorem ad poſteritatem prudentiæ & conſtantiæ laudem, tanto quoque majorem apud Auſtriacos invidiam ſibi comparavit. Et me Chriſte! niſi res circa punctum Reformatorum inſignis monſtri quippiam aleret, ut Pacificatores in rei veritate eis nunquam niſi in ſpeciem & ad puſillum cautum vellent, eccur amabo cautionem & ſecuritatem ipſorum Formulæ Pragenſi claris & perſpicuis verbis non inſeruiſſent? quæ tamen haberi debuit *pro norma legis fundamentalis Imperii :* cum leges fundamentales, quippe periculoſiorum convulſionum remedia, non ſolum ab omni ambiguitate ſed & imperfectione ac hiatu abhorreant. Cur ergo Pragenſis Lycurgus hoc loco ſuccinctior? Nimirum ut, donec lex ea à potiori Lutheranorum parte acceptaretur, particularibus tractatibus Reformatis illudi,

ludi, & lapſu temporis pro lubitu de iis conſtitui poſſet, eos admittendo, ſi aliter fieri nequeat; excludendo ſi temporis & virium ratio ita ferat. Et hoc quidem non ſine ſpecioſo prætextu, quod lex fundamentalis & generalis particularibus tractatibus prævaleat, quales cum Domo Caſſellana quidem inchoati, cum diverſis autem Comitatibus jam confirmati ſunt. Neque ejus certus eſſem, an Saxo eo caſu Reformatis majorem honorem ſit habiturus, quam Excluſorum è Pace Pragenſi ſeſquiulnali catalogo, qui omnes, licet magno numero nec ſtemmatis ſplendore nec virtutis nitore eo minores, nec fidei profeſſione ab eo diverſi eſſent, in optima tamen & communi cauſa in extrema pericula bonorum, famæ, honoris, corporis & animæ ab illo conjecti ſunt. Tam enim vilis fuit generoſiſſimus ſanguis tot Principum, Comitum, Nobilium & honeſtorum virorum in oculis Saxonicis, ut juxta Formulam Decreti, PROPTER EOS Lernæam hanc Pacem *ne per horam quidem putaverit retardandam.* Non dubito quin Elector ſub explicatione Euangelii *de bono paſtore & ove perdita, paſtoralis officii ſæpius ſit admonitus, & in cenſu illorum paſtorum haberi velit, è quibus David, Cyrus, alii.* Vide notas eorum & judica. *Bonus paſtor oves 99. relinquit in deſerto, unam amiſſam quærit, lupum venientem non fugit, ſaucium ligat.* Hic 99. oves in deſerto relinquuntur; lupis objiciuntur, mercenarius fugit, ne unâ quidem caulâ ſecuritati certæ præſervatâ. Ideo dicit Jehova *Ezechiel 34. v. 10. Quia oves meas rapinæ exponunt, ideo contendam cum illis paſtoribus & oves meas ab ipſorum manu requiram, & finem faciam cum eis ne amplius ſint paſtores, neque deinceps ſemetipſos paſcere pergant:* Quodſi hoc quoque loco vera eſt regula: *quod quis facit per alium, per ſe feciſſe putandus eſt.* quaſnam Electori laudes tribuemus, qui proprios ſocios, fidei conſortes, promiſcuumque gregem deſerit, mactat, aliorumque tyrannidi mactandum objicit, cum nihil plus, quin imo ne tantum quidem, quantum Ipſe deliquerit. Verùm ſi Elector mille animas exitio daret, licebitne ei dicere, Elector quid facis? Unum adhuc moveo: cum pragmatica illa lex, ex altera ſui parte Saxoni quoque accepta ferenda ſit, particulares autem tractatus Reformatorum Caſſellanorum Tillebergicorum, Hanovienſium, cum ſolis Auſtriacis, ſuſcepti ſint: Num id forte hoc fine factum ſit, ut Auſtriacis nubilo hoc tempore conniventibus, Saxo ipſe temporis ſucceſſu actionem contra eos inſtituere poſſit, quod ad Pacem Religionis non pertineant, ſed quemadmodum hactenus precariò & tantum ex miſericordia tolerati, ita ne nunc quidem Formulæ Pragenſi expreſſis verbis

inſerti ſint, ne unquam liquidum jus pro ſe allegare poſſint. Particulares ipſorum cum Ferdinando & Moguntino Conventiones Saxonem non ligare, quippe inſcia altera Pragæ contrahentium parte ſuſceptas. Atq; hac ratione promiſſa Reformatis à Ferdinando præſtita citò evanuerint. Meminiſſe debebant Reformati illius quod Saxo non ita pridem in Sueciæ Reginam commiſit, cui ſcripto publico reſpondit: ſibi quidem cum Rege fedus interceſſiſſe: ſed eo defuncto ſe Coronæ non amplius obligari: quod Tabulæ Illius ſolius mentionem facerent. Perinde ac illi qui inducias nocte violabant, pactum 40. dierum, non noctium allegantes: cum nemo tam ſtipes ſit, qui neſciat, *finem determinare actiones*, & opus coronare: contractuum etiam tenorem non ſecundum unius, ſed utriuſque contrahentium partis mentem accipienda eſſe. Si hoc Saxo commiſit in ſervatores ſuos, cur non deinceps prætenderet, ſe Pragæ Lutheranis, non aliis conſultum voluiſſe. Utut ſit, hodie non magnopere metuendum eſt, ne circa diplomata aſſecuratoria, (ſi quæ data vel danda ſunt) conſimilis fraus committatur, atque olim Philippo Haſſiæ Landgravio contigit, qui unius ſyllabæ corruptione in captivitate contra datam fidem detentus eſt, aut qualis circa nuperas Belgicas inducias commiſſa, quibus elapſis Hiſpanus publicè conceſſam & confeſſam Ordinum libertatem, cui totus Induciarum tractatus vel maxime nitebatur, ſub unius Vocis (*tanquam*) æquivocatione eluſit & retractavit. Hoc enim ævo non ſyllabę, non Literæ Majeſtatis, non Tabulæ publicæ periclitantur, ſed fides omnis à promiſſis Auſtrio-Hiſpanorum plane exulat.

Decimoquintò: Status & conditio præſens Domus & Militia Caſſellana ratihabitionem Decretorum Pragenſium diſſuadet. Licet enim terræ Haſſio-Caſſellanæ provinciis Ligiſtarum & Æmulorum undiquaque circumſeptæ ſint, hi tamen, hac rerum facie vix gravius quippiam contra eas tentabunt, dum Banerius Auſtriæ, Vinarienſis Bavariæ, Gallus Weſtrafiæ & tractui Rhenano imminet. Ubi Electores Eccleſiaſtici, quamprimum firmiorem federatorum exercitum ſibi imminere videbunt, vix denuo, quod ſub Guſtavo elegerant, *Miſericordias Domini in terra peregrinationis, pro pane alieno cantabunt, ſed miſſa Hiſpanorum perfidiâ & Aquila rapacitate Germanorum ſociorum fidei & Candori, Gallique vigilantia deinceps ſe & ſua permittent.* Interim Colonienſis habebit quod agat, dum loca vicina unguibus Haſſiaci Leonis eripiat. Pergant denuo graſſari Ligiſtæ in reliquias Landgraviatus, & idem ipſi experientur, ſuo quiſque loco. Atque hic quidem

quidem ſtatus Militiæ Caſſellanæ. Quod ſi Sociorum arma ponderes, præſens quoque illorum conditio non diverſum Domui Caſſellanæ ſuadebit. Auſtriaci enim & Saxo ſub ſpecioſo Pacis nomine Statibus imponentes, ſed eos longè graviori bello implicantes, id lucrati ſunt, quod hic priſcam ſuam autoritatem tam in Imperio, quam apud exteros amiſerit: iſti, novis ſuis preſſuris omnium odium in ſe multo auctius reddiderint, dum *Pacem, Pacem, Pacem*, tanquam quintum Euangelium cunctis annunciarunt & tamen omnes Orbis angulos novis bellorum incendiis oppleverunt, juſto Dei judicio Hannibalem ad proprias portas allicientes. Ex natura arundinis judicium fer de Urbibus pleriſque Imperialibus, ſolâ Argentinâ exceptâ (quæ ſui ſemper ſimilis manſit) à quibus armaturæ & commeatuum ratio hoc tempore non exiguam partem pendet, comparationeque partium belligerantium ſine affectu inſtituta, tecum perpende, ſi ipſe neutri parti obſtrictus eſſes, utram ſectari malles? tum vel ipſa ſana ratio dictabit, quid Publica Libertas, paſſis crinibus & manibus flagitet, etſi nulla federis, nulla juramenti ratio habenda foret. Erit forte ut Hannibal Viennæ, Ingolſtadio, Dreſdæque imminens, per exoptatam diverſionem ſtatum & ſedem præſentis belli non nihil invertat, & omnibus hactenus oppreſſis occaſionem ſuſpeditet ſeſe recolligendi & non nihil reſpirandi. De cæteris intus.

Decimoſextò: Iuſtitia illa quæ in foro conſiſtit, Tranſactione Pragenſi multis modis debilitatur. Licet enim in futurum æquabilitas quædam Aſſeſſorum in Camera promiſſa, necnon effrenis Aulici Cæſ. Judicii licentia verbotenus cohibita ſit, interim tamen ſalutaris juſtitiæ curſus non ſolum hoc tempore ſublatus, ſed & ſpes ejus in futurum præciſæ. Quorſum enim diſerta illa exceptio: *Quod Ferdinandus juriſdictionem ſibi in futurum prorſus illigatam velit reſervare, quam ut exlex* (ſemper frey) *vivere poſſit. Cum vera Principis libertas ſit, ſe legibus conformem gerere.* Quodſi ergo Ferdinandus vel ſe Cæſareæ Capitulatione vel poſteros ſuos Legibus Imperii fundamentalibus & particularibus obligatos voluiſſet, quid opus erat hac exceptione? Si viciſſim firma in futurum maneat hæc exceptio verè regia, quid opus Legibus Imperii fundamentalibus, ejuſque tot Receſſibus? Quid opus hac ipſa pragmatica ſanctione Pragenſi? Nempe ut ſpecioſis legum & juris ampullis, mundo oculos obliniamus & interim agamus pro lubitu: de Electoratuum proſcriptione, tranſlatione, bello exteris Principibus inferendo, Ordinibus milite peregrino & dome-

domeſtico opprimendis, de ipſorum fortalitiis, Tranſitibus & Clauſtris conſtituamus pro arbitrio. Et ne hæc licentia in futurum compeſci queat, non conſultum modo ſed & neceſſarium fuit, callido *præventionis* medio, Judicium Aulicum evehere & ſenſim Cameram Imperii deprimere, quod hæc mediantibus Ordinibus, illud immediatè à Ferdinando dependeat. Quiſquis itaque ſe jure ſenſerit inferiorem: neglectâ Cameræ auctoritate quavis ratione, lites ſuas ad Judicium aulicum devolvet: ibi enim (licet ei juſtitia non faveat) hanc tamen Maximam ſibi favere ſciet, Auſtriacam Aulam Spontaneis ſuis clientibus, qui neglectâ Camerâ ſe ad eam recipient, deeſſe nunquam poſſe; ut paulatim, lites & appellationes & tandem, ultimorem quoq; de omnibus Deciſio, neglectâ Ordinum Camerâ, ad Aulam ſolam retrahanrur: Hac nimirum ratione Domus Auſtriaca Viam juris non minus illigatam habebit, quam modo Viam armorum i.e. ſolà faciet quicquid per Vires libebit: Comitiorum etiam Imperialium (quæ mixtum Imperium inferunt & nimiæ iſti licentiæ frænos indunt) ſpes quidem facienda, interim illa ad Calendas Græcas protelanda, donec myſteria Pragenſis Apollinis ab omnibus nolentibus volentibus approbata ſint. Interim quibus Jupiter Viennæ iniquùs, iiſdem Juſtitia in Camera impos: quibus hæc benigna, illis torvus judicii Aulici aſpectus. Hujus proceſſus ſpecimen eximium, è quo de futuris colligere licet, & illud eſt, quod Formula Pragenſi cautum eſt, *ut illa lites, quarum Partes ſe jam antea Cæſareæ Deciſioni ſubmiſerant, deciſæ quoque manerent*. Quorſum amabò hæc cautio? ſi enim deciſio juſta, quid vetat reviſionem? Quod ſi injuſta, num non ſufficit manifeſtum læſæ juſtitiæ crimen ab eo commiſſum eſſe, qui ſummus ejus ſacerdos eſſe debebat? Sed publica lex, (turpe dictu,) manifeſtum iniquitatis vinculum debuit accedere? In confeſſo eſt, vix eminentiorem aliquam familiam inter Proteſtantes reperiri, cui non ſolum propter bona Eccleſiæ, ſed & alias prætenſiones, variæ lites ab adverſa parte motæ ſint. Circa eas ſi quippiam antea deciſum, id plerumque factum eſt, in favorem Pontificiorum & eis adhærentium, ubi, lata Definitivâ, omnia ad executionem prompta, quod noſtra ætate Aquiſgranii, Donawerdæ, Wetzflariæ, Principatus Marpurgici, Emdanorum & aliorum exempla docent: ultimis, lite pendente, naves in Hiſpania detentæ, liber commerciorum & maris uſus præcluſus, ulteriori in eos vindictâ manifeſte præſervata in Tractatibus Anglo-Hiſpanicis, ut prudentiores norunt. Cum ſoli Deo conſtet, quid monſtroſa illa ante menſem

nunc

Digitized by Google

nunc laus Deo à Neptuno & Vulcano devorata Claſſi Hiſpanica, in eos animi habuerit. Quodſi obiter & incidenter quippiam pro Proteſtantibus judicatum, anſa plerumque Definitivæ defuit, quod multis exemplis demonſtrari poſſet, quæ Prodromi anguſtia non admittit. Sufficiat hic exemplum Domus Darmſtadinæ contra Yſenburg: Itemque contra Caſſel in teſtamentaria ſucceſſione Marpurgenſi. Ibi diverſis vicibus judicatum pro Yſenburg, ſed nihil executioni datum, donec tandem jus in vim, Auſtriacorum cunctipotentiâ commutaretur, ut acta typis edicta docent. Hîc illico Hiſpani executores parati erant, qui oppidum S. Goari, & Marpurgum cum pertinentiis fructibuſque perceptis Darmſtadino traderent. Neque illud ſatis, ſed quia cauſæ diffidebant, Caſſellanus quoque Bavarici militis metu & minis coactus eſt, illam executionem pro ſe & poſteritate ſua ratam habere, quicquid vel ipſa æquitas, vel cohæredum proteſtationes reclamarent. Huc refert cauſam Palatinam in puncto nuperæ tranſlationis Electoralis Dignitatis cujus iniquitati non Electores ſolum ſed & alii Principes publicè hactenus contradixerant, quam tantam injuſtitiam nunc non ſolum approbare, ratamque habere, ſed & manifeſto Marte propugnare jubentur. Hos quidem proceſſus & ſimiles alios Pacificatores probè ſciverunt præmunire & pulchrè colorare, ſub fucato eleganti nomine Cæſareæ *Submiſſionis*, quod ſubtili Sophiſmate non tam paſſivè (in ſpeciem) voluntarium reipsâ coactum (Landgravio Caſſellanorum, Auguſtanorum & aliorum; ad violentas Deciſiones) conſenſum & approbationem; quam activè violentam (Palatinorum, Trevirenſis, Brunſuicenſis Wurtenbergici & aliorum *ſub (jugum) miſſionem* ſonat: & omnes illos, cæcâ obedientiâ Legiſlatorum libidini in futurum allegat, quicunque proteſtationibus, interceſſionibus & aliis viis poſſibilibus violentiæ Auſtriacæ hactenus reſiſtere nequierunt: malè interim proſpexerunt tot læſis orphanis & viduis nobilium, illuſtrium & illuſtriſſ. familiarum. Hîc quilibet ſe oppreſſum ſentiens ſecum cogitet, an conſultius ſit, bello in æquilibrio conſiſtente, ſpes ſua recuperandi abjicere, & injurias ferendo injuſtitiæ patrocinari, an præſentibus mediis uti & ſereniorem auram divinitus exſpectare.

Decimòſeptimò: Quamvis benè multi ex Proteſtantibus ſuam inconſtantiam nullo prætextu colorare poſſint, *exteri tamen Principes & Reſpublicæ, quæ è ſpectatoribus hujus Tragœdiæ, ad ſui conſervationem, tandem quoque ejus actores fieri cogentur, eam non tam Germanorum lubricitati, quam Auſtrio-Hiſpanorum*

norum dolis & fraudibus aſcripſerunt, neque bonam ſuam propenſionem ad bonum publicum uſpiam paſſæ ſunt imminui, quamdiu de virtute Domus Caſſellanæ tum ante tum poſt exceſſum Principis cognoverunt. Quodſi & ipſa tandem ſiniſtri quippiam committat, manum negotio ſubtrahat, militem manumittat, copias hoſtiles auctiores reddat, annon meritò exteri plus quam cæteris hoc nomine ei ſuccenſerent? Conſilia ſua tantiſper ſuſpenderent, manumque auxiliatricem jam extenſam retraherent? Atque hac ratione Domus Caſſellana exercitum dimittendo, gladium à Deo ſibi porrectum Ligiſtis tradendo, ſocios, fidei conſortes & Patriam non aliter feriret, quam David Vriam, per gladium filiorum Ammon. *Sed, cum & is injuriam inferat, qui illatam, dum poteſt non propulſat, inde conſequitur, haudquaquam muneri noſtro ſatagi, ſi prolongatis induciis nobiſmetipſis quidem utcunque conſulamus, omnem autem belli molem ad humeros alienos remittamus. Opera juncta faciliores: vires unitæ fortiores.* Serio itaque voveo, ut Deus inclytum Regimen Caſſellanum, quod cauſam Proteſtantium Imperii hoc tempore ſolum conſervavit integram, ita regat, ne quicquam admittat, quo adhuc ſui ipſius diſſimile reddatur, quin potius juxta celebratam Conſiliorum dexteritatem cuncta ita moderetur, ne moræ intempeſtiviori locus ſuperſit, vel bonum publicum, aut acquiſita gloria, vel tenera conſcientia quicquam damni capiat.

Ex ſuperioribus itaque patet, quod pro Pacificationis Pragenſis ſtabilimento & confirmatione nemo bonâ conſcientiâ militare, vel ſpe felicioris ſucceſſus gladium in alios ſtringere poſſit, niſi certum divinæ maledictionis reatum ſibi attrahere velit: *ne quidem ipſis hæreditariis ſubditis Pacificatorum, citra diſcrimen, exceptis.* Licet enim ſubditi in omnibus temporalibus Magiſtratui de jure divino obtemperare teneantur illa tamen obedientia ſe non ulterius extendit, quam ad aras. Dum ergo omnes *Electoris Saxoniæ ſubditi Proteſtantium Religioni addicti ſunt, & ut* ſuprà evictum, fidei ſuæ conſortes in Bohemia, Sileſia, Moravia, Romano etiam Imperio, *atque eâ ipſa Vrbe, à qua eorum Confeſſio Auguſtana denominata eſt, horribiliter perſequuntur,* eo ipſo manifeſtè oppugnant propriam ſuam Religionem, & agunt contra conſcientiam, contra legem fraternæ charitatis, contra juramentum federis Lipſiæ præſtitum: quin & contra ſponſionem Deo & ejus Eccleſiæ in S. Baptiſmo factam. Ne ergo flagrantem jam antè Dei iram ſibi accumulent, & æternam damnationem attrahant, meritò commonentur *Deo hic magis quam hominibus obedire*, & exemplum priſcorum militum

ſub

Digitized by Google

ſub *Legionibus fulminatricibus* imitari, qui contra hoſtes Imperii ſtrenuè quidem agebant, Chriſtianos autem fidei conſortes oppugnare juſſi, gladios ponebant, ſeipſos prius mille mortibus excarnificandos & immarceſſibili Martyrii corona æternùm decorandos exponentes, quam contra fidei conſortes quippiam ſuſciperent, in gratiam Magiſtratus, qui tamen tum temporis abſolutiſſimè imperabat, nec (Pontificibus; nec) Electoribus diadema acceptum ferebat. Quod ſe extendit à ſupremo belli Duce & præfectis ſuperioribus & inferioribus ad gregarios milites, quin & ad lixas & calones uſque, quorum animæ, in Dei conſpectu pretioſæ, perjurii, cædis & perſecutionis Eccleſiæ eamque concomitantis æternæ maledictionis ſe minimè reas facere debent. Idque tanto minus, quanto ſequiores ſucceſſus ex ejuſmodi bello ſibi polliceri poterunt. Deus enim ipſe clariſſimis verbis in conſimili perjurii caſu exitium minatur. *Ezech. 17. v. 21. Omnes ejus (perfidi Zedekiæ) bello profugi, gladio concident & in omnes ventos diſpergentur.* En fugam, cædem, exilium divinitus prædictum iis, qui fidem fregerant: nec profuit ipſis, quod pro Eccleſiæ defenſione tum quidem ſua opinione pugnaturi videbantur. Quid ergo de iis futurum, qui Eccleſiam, cujus ſe membra profitentur, contra datam fidem perſequuntur? *Subditos Auſtriacorum quod attinet*, ſub quibus Regnum Bohemiæ cum incorporatis provinciis comprehendo, quippe bello ſubactum, ſive juſto ſive injuſto: *illi ſunt duplicis generis, vel nati & educati Papiſtæ: vel Religionis Euangelicæ deſertores, tum voluntarii, tum coacti*, ſive in Bohemia, Sileſia, Moravia, & Auſtria, ſive in Carinthia, Dalmatia, Carniola, Tyroli, quibus locis omnibus ſtatus Religionis à Ferdinando II. immutatus eſt. Hi omnes & ſinguli (natis Pontificiis exceptis) nunquam contra federatos Proteſtantes eorumque Socios vel manum levare, vel gladium ſtringere poſſunt, niſi eadem operâ ſauciatæ jam antea ſuæ conſcientiæ vulnus lethale infligant. Præterquam enim, quod agnitam veritatem ex amore temporalium bonorum deſeruerunt & abnegarunt, (*qui primus eſt gradus peccati in Spiritum S.*) id quoque ſuperaddunt, quod eandem veritatem odio habeant, & ipſum Dei filium in membris ſuis perſequantur: Sauli enim Chriſtus ait, quid perſequeris ME, ME, ME, (*qui ſecundus irremiſſibilis peccati gradus eſt, quem tertius plerumque concomitatur:*) juſta Dei excæcatio, ut talium corda cum Pharaone obdurentur, ne unquam pœnitentiam agere velint aut poſſint. Unde expreſsè verbum Dei vetat, *pro ejuſmodi*

peccatoribus orare. Primum hujus peccati gradum Petrus Apoſtolus commiſerat, ad ſecundum gradum ſubſiſtebat, gratiam & miſericordiam à Deo nactus, & à tertio gradu gratioſè præſervatus. Ne ergo illi omnes, qui temporalium bonorum laqueis conſtricti, *deſerto primo Chriſti amore, ex triſtis exilii tædio & metu, ſub Auſtriacis & eorum adhærentibus ſedes fixerunt*, primo gradui peccati in Spiritum S. ſecundum, & ſecundo quoque tertium ſuperaddant, omnia citius bona & commoditates temporales unà cum vita ipſa relinquere tenentur, quam agnitæ quidem, ſed abnegatæ veritatis perſecutione, verâ ſimul vitâ & gloriâ Filiorum Dei ſe privare. Abnegationi veniæ locus reliquus eſt, ſi cum Petro pœnitentiam agant: huic ſi odium, & perſecutio veritatis & finalis perſeverantia accedat, peccatum ipſorum neque hîc neq; illic unquam remittetur, ut Spiritus S. multipliciter teſtatur, unà conteſtante propria cujuſque conſcientiæ carnificinâ, & tragicis Pharaonis, Saulis, Judæ, Franciſci Spieræ & ſimilium aliorum exemplis. Non quod peccatum hoc potentius ſit ipſa Dei gratia; vel ſeriò quæſitam gratiam obtinere nequeat, ſed quod ii qui peccant in Spiritum Sanctum, gratiæ divinæ (qua ſola curari poſſent;) directè reſiſtant, adeoque ob ſuam contumaciam æterna cæcitate juſto Dei judicio plectantur: ut ne quidem reſipiſcere ſeriò unquam velint, nedum poſſint. *Pergo ad eos Auſtriacorum ſubditos, qui in Religione Pontificia nati & educati ſunt.* Licet autem hi, in foro conſcientiæ ab obedientia ſuo Magiſtratui hoc caſu debita, non perinde ac priores purè eximi poſſe videantur, quod cum Paulo ignorantes peccent, adeoque veritatis perſecutione, peccati in Spiritum S. ſe non pariter reos efficiant: hunc tamen conſcientiæ caſum & iis ipſis, & reliquis Rom. Catholicis omnibus moveo: *Anne Romano Catholico licitum ſit, cauſam injuſtam, Reipublicæ Chriſtianæ & Eccleſiæ Catholicæ pernitioſam & exitioſam bello defendere?* Hîc ſcio nemo tam profanus futurus eſt, ut id auſit conſtanter affirmare. *Iſthic verò hærebimus, penes quam belligerantium partem juſtitia cauſæ ſtet, & utra ex iis Reipublicæ & Eccleſiæ commodum præ altera promotum velit?* Cum itaque ex Romano-Catholicorum hypotheſi, de Eccleſiæ Romanæ commodis & incommodis, nemo *ex Romanæ Curiæ ſententia*, rectius decidere poſſit, *quam ipſe Pontifex*: vel *ex Sorbonæ mente, Concilium*: clara autem hujus quæſtionis deciſio hoc Romanæ Eccleſiæ ſtatu non magis ſperanda ſit, quam priſcæ litis de peccato originali Beatæ Matris Virginis: indè manifeſtè conſequitur, quod o-

mnes

mnes Pontificii, qui Domus Auſtriacæ & Hiſpanorum cauſam ex ſolo Religionis zelo hodie propugnant; id omne quod faciunt, faciant dubitante conſcientia: num videlicet zelus eorum in cauſa dubia defendenda, Deo placens & Eccleſiæ ſalutaris ſit nec ne? *Quicquid autem ſit dubitante conſcientia, peccatum eſt. Rom. 14. v. 23.* Dices, idem judicium ferendum eſſe, de iis Catholicis, qui hæreticis (dictis) manifeſtè faveant. Regero, aliud tribunal in tua propria conſcientia erigendum eſſe, cujus dictamine, *vel ipſo Pontifice Romano ſilente, ne alterutram partem offendat*, confeſtim agniturus ſis, hanc nunc *ad ſui Status & Romanæ Eccleſiæ conſervationem*, Ejus eſſe mentem hæc ſecretoria cogitata. *Hæreſis extirpationem ſeriò quidem optandam, ſed experientiam, omnium rerum magiſtram evincere, morbum iſtum lentis potius, quam violentis remediis tentandum. Prætextu Religionis, contra Turcam & Hæreticos defendendæ, nonnullos abuti Brachio ſeculari, cum iis Eccleſia vix oſſa & umbras integras relinqui: ad infringendum itaque abſolutum Dominatum illorum, qui ipſis tandem Sanctis Petro & Paulo leges ferre non erubeſcent, conſultius eſſe, eam ad tempus tolerare, quam intempeſtivè tollere. Pravi rem exempli eſſe, Archiepiſcopo Electori manus injici à brachio ſeculari. Quod tanto graviori animadverſione & Cenſura dignum, quanto eminentior Archi-Epiſcopi Electoris perſona, quam illi Fraticelli, propter quos Reſpublica Veneta anno 605. non ſolum excommunicata ſed & manifeſto Marte oppugnata: quod nunc quidem muſſitandum ſit, ne Gladius Petri ad tantam Malchi craſſitiem hebeſcat: Hinc tamen elucere, quid futurum ſit, ſi Auſtrio-Hiſpani Proteſtantibus in Imperio prævaleant: ut nimirum non Eccleſiaſticis ſolum Electoribus Germaniæ, ſed & ipſis Italiæ Principibus (Eccleſiæ præmunitioni) atque ipſi tandem Statui Romanæ Eccleſiæ lites ſint moturi. Regni Neapolitani & Ducatus Mediolanenſis viciniam; Hetruſci opulentiam & cum Auſtriacis conjunctionem; Sabaudici Regiminis lubricitatem, Rebus Eccleſiæ nihil boni portendere. Hic juri utriuſque gladii non leve periculum imminere, ultimam occupationem Vrbis adhuc calere ab Auſtrio-Hiſpanorum omnipotentiâ. Cunctipotentiam ſummi Pontificis in ſimplicem Prælaturam Eccleſiaſticam tandem transformari, limiteſque Papalis Iuriſdictionis tam arctè conſtringi poſſe, ut alas extra Vrbem vix longè ſit expanſura. Dum etiam Hiſpanus non ita pridem proprio filio non pepercerit, ante dies in Patrios annos inquirenti, id non minus metuendum eſſe Pontifici, nimium CUCURRIENTI, niſi genio Auſtriaco ſe accommodet, Monarchiam Hiſpanicam canonizet, & candidum cantherium in feudi Neapolitani recognitionem remittat. Ex quo animo Veneratio Pontifici Romæ ab Hiſpanis exhibita proficiſcatur, ex eâ frigiditate elucere quam Legato ejus à*

latere Coloniæ conteſtentur. Cui Gallia citra Fidem publicam adeſſe non poſſit. Securitatem Apoſtolicæ Sedis omninò in partium æquilibrio conſiſtere : nimia Auſtrio-Hiſpanorum incrementa ſuſpecta : Banni vires & metum ſenſim apud eos vileſcere : ideoque cauſam Proteſtantium obliquè tamdiu ſublevandam, donec Ibericæ intemperiei certi carceres & termini ponantur. Tum novatis rebus in promptu novum Conſilium. Acerbum quidem, unicum DANIELEM ARCHIRICLEUM *(*CHI. *pro* GY *id eſt Clavigerum argenteum) omnem olim Chaldeorum Clerum ſub Nabuchodonoſore rexiſſe : ſed inter duo mala minus eligendum : genium Avenionis, Patriarchatus indolem, Francorum acumen, ſubtilitatem, concordiam, alacritatem & conſilia à priſcis ſeculis quamplurimum differentia hoc ævo multâ conſideratione egere : peritum aurigam viſo duriori Saxo circuitione uti; circumſpectum navarchum ſcopulos vitare, ad quos Imprudens impingat : ſatius eſſe ut Titius & Mævius invicem ſecum, quam vel juncti vel ſinguli mecum confligant.* Sic Pontifex *tout bellement* ſecum tacita mente locutus. *Sorbonæ ſententiam* Acta publica ſatis manifeſtè teſtantur. Quæ introductio, quippe in rei veritate fundata, eo fine hîc ſuſcipitur, ut inde pateſcat, quantum hodie ad Rom. Eccleſiæ ſecuritatem interſit inter Regis Galliarum intentionem, & violenta Auſtrio-Hiſpanorum Conſilia. *Fines, fines inquam diſtinguunt actiones.* Finis autem vel verus eſt vel apparens. Auſtrio-Hiſpani zelum Religionis ſuum finem eſſe tantùm fingunt, ſub cujus prætextu Regionem & abſolutum Dominatum quærunt. Hoc docent Luſitania, Neapolis, Navarra, Palatinatus, Sicilia, Mediolanum, Arteſia, &c. Dum prætextus Religionis, ad amplificandum Imperium non ſufficit, quidlibet comminiſcendum eſt, ſive legitimationis ſive poſtulationis, ſive ſequeſtrationis ſive protectionis reſp. & clientelæ, ſive quovis alio nomine fiat. Ita Leopoldus olim Argentinæ & Juliaci, Leopold-Wilhelmus nuper Moguntiæ & Bremæ, Tzerclaſius Hamburgi & in vicinia, Ferdinandus contra Nivernienſem Mantuæ, Bavarus Ambergæ & Heidelbergæ, Hiſpanus apud Trevirenſes, & Francothaliæ, Fridbergæ & Brunfelſii *non Miſſam ſed meſſem*, quin & ipſum agrum quæſiverunt. Quorum manifeſtæ injuſtitiæ & effreni dominandi libidini nemo Catholicorum patrocinari poteſt, quam diu immota Dei voluntas & æterna ſcripturæ regula (tantum in Americâ, quantum in Germaniâ valens) conſiſtet, quod *injuſti & raptores Regnum Dei non ſint poſſeſſuri.* E regione Rex Galliarum *hunc finem ſibi unicè præfixum habet*, ut oppreſſam Libertatem publicam ab ejuſmodi oppreſſoribus aſſertum eat : & ad

ad eam domi foriſque ſtabiliendam, Autonomiam Religionis non ſolum licitam, ſed & neceſſariam eſſe agnoſcit: quapropter eam non in Galliis ſolum, ſed & Romano Imperio viciniſq; locis conſervatam cupit, tot Hiſpanorum turbis in Gallia excitatis edoctus, FIDEM NULLA HOMINUM VIOLENTIA ÇOGI POSSE: QUA VIA PLURIMI QUIDEM HYPOCRITÆ, PAUCISSIMI AUTEM, VEL OMNINO NULLI BONI CHRISTIANI EFFICIANTUR. Dum ergo Proteſtantes Libertatem conſcientiarum & profanam undique nutantem defenſum eunt, intentatumque ſibi & aliis jugum Hiſpanicum ab humeris ſuis removere nituntur, libero cuique Statui ſuæ Religionis (ad Dei tamen verbum reſtrictæ) uſu relicto, non ſolum prudenter ſed & juſtè pieque facit Rex Chriſtianiſſimus, quod tanquam fidus Abraham oppreſſum fratrem Loth vindicatum abit: quin & plura dico: quòd bonâ conſcientiâ contra convictos graſſatores & convictos oppreſſores publicæ Libertatis, ipſum Aner, Eſcol & Mambre in ſocii belli conſortium accerſere poſſit Gen. 14. de quorum converſione Scriptura nullam mentionem facit: ſub hac tamen conditione, ne vel in ſuis Gallis, vel ope ſociorum, ſed ſolius Dei præſidio & cauſæ bonitate fiducia collocetur. Reſtituat ergo Ferdinandus III. priori ſtatui Bohemiam cum incorporatis provinciis, El. Palatinatum, Haſſiam, Wolfenbutum, Philippopolin, Wurtenbergam: quæ omnia defuncto Ferdinando II. non ad Domum Auſtriacam, ſed ad ipſum Imperium & in tanta Rerum perplexitate, ad legitimam Ordinum in publicis Comitiis Diſpoſitionem reciderunt, ſi vel maximè ex ſufficientibus cauſis occupata fuiſſent: Bona etiam Eccleſiaſtica illi ſtatui reſtituat, in quo fuerunt anno 1617. & decennalem illam metamorphoſin ad annum 1627. XII. Novemb. aboleat: de recto & legitimo illorum uſu, non ignavis ventribus alendis, ſed gloria Dei, proximi ædificatione promovenda, & uſibus pauperum ſublevandis cogitet, dudumque negatum Salvum Conductum tam partibus ipſis, quam convenientibus Arbitris impertiat, vel tandem ab Ordinibus congregatis citatus, ipſe compareat, & Mundo facilè patefiet, tam Regem Chriſtianiſſimum quam inclytam Coronam Sueciæ & ipſos Proteſtantes non compendium privatum, ſed publicam ſecuritatem, conſcientiarum tranquillitatem & conſervationem communis Libertatis quærere: quam nemo Catholicorum oppreſſam cupiet, niſi Cumanis Auritis & ligatis Hiſpanorum mancipiis annumerari velit.

Vidi-

VIdimus hactenus rationes, quæ prudentioribus ſufficere potuiſſent ad Decretorum Pragenſium reprobationem & rejectionem. Iam etiam illa ſub incudem erunt revocanda quæ pro iis ſtrenuiſſimè militare videntur.

Primò itaque Pacificatores & omnes eorum ſequaces ita clamitant: *Illud ab aliquibus Ordinibus & minorum gentium Diis ad univerſalem quietem reducendam minimè retardari poſſe vel debere, quod non ſolum à ſummis toto Imperio Ingeniis accuratè ſubactum elaboratumque & præſenti neceſſitati accommodatum, ſed & à potiori Procerum parte acceptum & approbatum ſit.* Hinc nec inclytum Regimen Caſſellanum, nec quemvis alium Statum ſeorſim ei obniti, & cauſari debere, ut, quod hodiè *volens nolit, id cras nolens velle compellatur.* His omnibus Deus ipſe reſpondeat, cujus vox Exodi 23. extat: *Ad pravitatem,* NE SIS MVLTITVDINIS IMITATOR. Ergo hîc quoq; non factis & exemplis, ſed rectè factis ſtandum erit. Num Elias propter multitudinẽ Bahali, num Daniel propter eandem Babylonico Coloſſo genua flexit? Quoties in hiſtoriis ſacris & profanis communis error in integris Regnis, Imperiis & Rebuspub. prævaluit? Qui tamen nunquam inani numeri mole potuit excuſari. Conſideremus unicum exemplum populi Iſraëlis, qui Moſe nonnihil tardante, ipſum etiam ſummum Pontificem à tramite recto in communem lapſum abripiebat. Num ideo Moſes & Joſua pravũ iſtorum exemplum fuiſſent imitati? An, quia deliri Seniores Bethulienſes ab Holoferne perterriti, Deo ſuo diffidunt, ipſa quoq; Judith animum abjicere debuit? Cujus generoſa magnanimitas omnes concivium ſuorum copias pudefecit. Sit ergo, quod hoc quoq; tempore ſola Domina Vidua Caſſellana Samariticum cultũ Vituli Pragenſis maſculè detrectarit, inde non ſolum bonitati cauſæ nihil decedit, ſed tanto quoq; major ad hoſtes ignominia redundat, quanto major ex eo gloria conſequetur, ſi Hiſpanicum Holofernem ab imbelli ſexu proſtratum videamus, cui vincere longè glorioſiſſimum; à viris vinci, ne quidem turpe aut probroſum. Huc accedit quod alia conditio ſit eorum, qui violentis & fraudulentis Decretorum Pragenſium laqueis oppreſſi, aliter quam fecerunt, facere non potuerunt: quibus condolendum magis quam ſuccenſendum eſt. E quorum numero ſunt Urbes Suevicæ & Noricæ; nominatim Auguſta Vindelicorum & Tiberina; non nullæque ad Rhenum. Alia eorum, qui Duumviris Pragenſibus occultè colludentes, à Sociis boni viri haberi voluerunt, ſed turpi eventu, cum æterna infamia, cauſam publicam, contra Dei & hominum

num fidem non ſolum deſeruerunt,ſed & juratis Sociis manus violentas injecerunt,& non neceſſaria ſua defectione,infinitis animarum millibus crudelis exitii, Sociis prioribus Herculei laboris, ſibi ipſis autem novorum ſummorumque periculorum autores fuere, rebuſque geſtis tam famoſi facti ſunt, ut indice digito non egeant. Alia denique eorum, qui Decretis Pragenſibus hoc rerum ſtatu, ſine manifeſta neceſſitate,ex mero belli quamvis neceſſarii tædio,& inanibus Cæſarei nominis terriculamentis acquieſcunt & communem cauſam denuo refloreſcentem intempeſtivè deſerunt, vel remiſſius agunt, belli moleſtias ſua quidem opinione, per Tractatus particulares amoliturі,quibus tamen ea via magis & magis implicantur. Primi ordinis Status excuſati poſſunt: ultimi non item. Medii, conteſtante propria ipſorum conſcientiâ, non ipſi ſolum Dei & hominum fidem temerè violarunt, ſed & multis aliis perfidiæ, multo pluribus autem improviſæ oppreſſionis & excidii autores extitere. Ut enim ruptis nubibus, cœlique catarhactis ex improviſo ſolutis, aquarum irreſiſtibili confluge obvia quæque abripiuntur: ita deficientibus primoribus,neceſſario labes ingens plebis promiſcuæ ſubſequitur. Hoc nimirum ſpeculum Pacificatores & eorum applauſores intueantur & habebunt quod in futurum emendent,vel ne emendatione egeat,ſtudioſè vitent.

Secundò Pacificatores ingeminant. *Romani Imperii reſpectum & autoritatem jubere,ut ei potius adhæreamus,quippe teſte Scriptura invincibili & ad finem mundi duraturo, quam exteris Principibus nos ſubmittamus, qui ejuſmodi promiſſiones non habeant.* Sed reſpondemus. 1. Inter Socios ſubmiſſioni locum non eſſe, neque Rempublicam illam negligi, ſed multo potius reſtaurari, cujus cives, Tyrannide neglecta, Optimatibus adhæreant. 2. Canem generoſum, quamvis domi noſtræ natus non ſit, modò pro grege excubet, domeſtico tamen lupo & urſo ſemper præferendum eſſe. 3. Liberum Romanum Imperium & ligamenta jugi Auſtrio-Hiſpanici, multis paraſangis ab invicem diſtare: Floruit enim Imperium ſub Latinis, Græcis, & Germanicis Imperatoribus, cum veſtigia Domus Habſpurgicæ vix nota eſſent, quæ iis demum temporibus, cumprimis Electoris Palatini favore (cujus prudentiæ cæteri Electores ſuffragia ſua conceſſerant,) ſub Rudolpho I. ad id honoris faſtigium evecta eſt, quibus Imperialis Majeſtas,,ob turbulentorum Pontificum perpetuas lites, domi foriſque non majoris æſtimabatur, quam hoc tempore vel Conſulatus Romæ, vel Nobilitas Bernæ, vel ſudoriolum

Veronicæ Genevæ, vel prægrandis Georgius in ſummo templo Stockholmienſi. 4. Quicquid de Romani Imperii perpetuatione ad finem mundi adducitur, id Status non alligat uni familiæ. *Capitolium ſtetit, Catilinâ cum ſuis corrivalibus deleto.* Sed neque imaginaria illa æternitas Romani Imperii certo fundamento, ſed falſiſſima nititur hypotheſi, ut ex collatione Daniel. 2.7.12. capp. Apocal. 12. & 20. capp. tum ratione typorum & antitypi, tum etiam ratione Computi Chronologici invicem ritè collatis perſpicuè patet. Quæ loca ſi accuratè examinentur, quippe non propter anſeres à Spiritu S. relicta, tum terror imaginarius agnonizantis Romani Imperii neminem facilè exanimabit, quin potius omnes & ſinguli, qui extremâ hac Domus Auſtriacæ rabie, ſub Romanæ Majeſtatis prætextu nefariis modis attriti ſunt, agnoſcent certum illorum tyrannidi terminum & finem à Deo prefixos; quos ultra citraq; tam penitus nequeant conſiſtere; ut potius ipſi præcipitantiâ ſua & irregulari omnium actionum curſu, excidium proprium accelerent. Licet enim Principes Germaniæ nunc tantum non oppreſſi ſint, nemo tamen eſt, qui non agnoſcat, non potentiſſimos ſolum Reges, ſed & regulos ipſos Italiæ modernis Imperatoribus non aſſurgere. Imperator ergo hoc ævo Romanus eſt, ſed ipſa Roma Urbani eſt: qui neſcio quid imperfectionis in nupera Electione Ratiſponenſi deprehendens, in tanta terreſtris Dei affluentia, ne unum quidem pulvinar aut ſedem Legatis Ferdinandinis commodam invenit, donec cuncta examuſſitarentur, & Majeſtas Ferdinandi temperamento Pontificio ſeſe accommodaret.

Tertiò Pacificatores prætendunt, *ſiquidem communi Imperii Capite opus ſit, in confeſſo eſſe, quod nemo præter Ferdinandum III. eo faſtigio dignus ſit.* Licet namque perturbato hoc Imperii ſtatu, *circa ejus Electionem, non parum mucilentioris farinæ intertritum ſit, nec omnia examuſſim ad præſcriptum Legis Carolinæ geſta, neminem tamen, tam intra quam extra Imperium ſupereſſe, qui vel unico Electorali ſuffragio dignus fuerit judicatus.* Dum ergo conſultius ſit, difficili quam nulli Principi aut duobus ſubeſſe, ideo quoque tutius eſſe Ferdinando ſe ſubmittere, quam periculoſo ſchiſmati anſam dare. Hæc, quemadmodum pondere ſuo non carent, ſic tanto etiam diligentius excutienda ſunt, ut æquitas è ſpinetis tenebrarum eliciatur. Et 1. in genere quidem verum eſt, in libera Imperii Republica, (qua non tam Imperator, quam lex & Supremus Electorum Senatus, mediante Cæſaris perſona imperare debebat) omnes ſervituris occaſiones vitandas,

ejuſque

Digitized by Google

ejuſque fundamenta diruenda, inſtrumenta abolenda & vincula plane reſcindenda eſſe. Unde nunquam ſatis laudari poterit priſcorum Electorum vigilantia, pro conſervanda Imperii libertate. Aurea & verè vatidica verba fuerunt, quæ anno 519. ſub Electione Caroli V. Moguntinus in medium attulit: *Hiſpanos, Imperium ſemel nactos, id vix iterum ſuæ libertati reſtituturos.* Horum vigilantia, ſi cum hujus ævi torpore comparetur, videbis alios mores, alia tempora. 2. Notandum quod inculpata tutela, quæ vim injuſtam à ſe ſuiſque repellit, nunquam ſit prohibita, nec hoc Imperii ſtatu ſchiſmatica nominari poſſit. Aliâs enim multis retro annis major ſchiſmaticus in Imperio non extitiſſet, quam Elector Saxoniæ celebrato Conventu Lipſiaco. Quin & ipſe David, bello defenſivo Sauli ſeſe opponens, non meliori titulo dignus erit: cum tamen & natura & ſana ratio dictet, fiſſuras Rerum publicarum non iis acceptas eſſe ferendas, qui legum publicarum vigorem ſalvum & integrum conſervare ſtudent, ſed exlegibus illarum violatoribus, qui omnes Tabulas ſublatas vellent, ut ipſi pro lubitu agerent, omnem etiam Libertatis mentionem & aſſertionem, rebellionis & ſchiſmatis nomine traducunt, ut ipſi ſoli liberi ſint, & alios omnes pro mancipiis habeant. 3. Perpendendum, poſt Electorum exortum, & Cæſareæ Capitulationis introductionem, abſolutum illigatumque Dominatum in Imperio locum non habere, quin & certis caſibus, quæ ſummam Imperii concernunt, Imperatori nullam omnino poteſtatem citra Electorale Collegium, ſupremum Imperii Senatum, conceſſam. Nec Electores unquam hactenus Imperatori poteſtatem eâdem quâ olim populus plenitudine contuliſſe, ſed commune imperium ſupra dictis caſibus, cum eo ſibi reſervaſſe, rectèque ordinatum Imperii ſtatum, ante Ferdinandum ferreum non tam Monarchicum quam Ariſtocraticum, Reipublicæque nomine inſigniendum fuiſſe, niſi priſcæ Majeſtatis memoria & ſpecies dulcis fuiſſet. Ob pravos enim mores quorundam Imperatrum, Regimen publicum non abſoluto & proprio ſucceſſorum arbitrio relictum, ſed inviolabili Contractu juratæ Cæſareæ Capitulationis & legibus Imperii circumſcriptum atque determinatum, *quin imo ad certas conditiones præcisè alligatum atque aſtrictum eſt.* Unde 4. conſequitur, *quod conditionibus illis vel violatis vel ſublatis, ipſum quoque conditionatum ceſſet; & per conſequens, Imperator leges fundamentales & Contractum Capitulationis Imperatoriæ evertens, Imperatoria Majeſtate de jure excidat, ipſoſque Ordines Imperii ab obedientiâ ſu-*

Digitized by Google

per pactis Capitulationis conditionibus fundatâ liberet : quo caſu ex æterna contrariarum cauſarum & effectuum naturâ, Electorali Collegio Reprobatio degeneris Imperatoris non minus competat ; quam alias electio : Niſi fateri velis, vel Electionem ipſam merè umbratilem eſſe ; vel effatum (Electum Imperatorem) ſua cauſa digniorem eſſe. Quod etiam praxis priſcorum Electorum demonſtrat, qui Wenceſlaum illegitimè ſe gerentem, throno removerunt. Cujus ſuæ Præeminentiæ ſub Ferdinando II. prioribus annis nondum obliti fuerant, quando Ratiſbonæ, Ferdinando in Urbe præſente, non ſolum ipſo remoto, extero Legato Regio ſolennem Audientiam ſeorſim dederunt, ſed ipſum etiam Ferdinandum haud dubio privatim ſatis acriter increparunt, cum publicis etiam inſtrumentis (non ſine manifeſto improperio) inſeruerint, quod ſuper expeditione contra Regem Suetiæ ſuſcepta, pluribus omnino cum Electorum Collegio communicare debuiſſet. Quibus & illud acceſſit, quod Fridlandum, quamvis immediatè à Cæſare pendentem, ex cauſis ſuis peculiaribus, à generali militiæ præfectura removerunt. E quibus actibus, nubiloſo hoc tempore, radii quidam priſcæ Electorum autoritatis eluxerunt, qui (cum olim Imperatorem Communem populi Chriſtiani pacem, ſalutem & incolumitatem conturbantem, non minus juſte Dominatu ſuo exuere potuerint, quam ſpe promovendi boni publici ad thronum evehere.) Hoc ultimo Duumvirali Conventu Pragenſi & ſuperficiali Electione Ratiſbonenſi prorſus obſtupefacti ſunt, & tanquam animi deliquium paſſi, manum utramque à boni publici Adminiſtratione ſubtraxerunt. 5. Videndum, undenam & quo fine primi Electores ſuam autoritatem & jus votorum adepti ſint. Quamvis autem non diffitear, modernam ipſorum poteſtatem ex lege Carolina pendere, interim, cum prioribus ſeculis ante Carolum IV. & paucior Electorum numerus extiterit, & ipſa Electionis ratio nondum ad certam formam fuerit digeſta, inde liquet majorum noſtrornm ætate non parem Electorum conditionem ſemper fuiſſe. Qua de re cum invidioſa antiquitas non ſufficienter nos edoceat, ad ea recurrendum eſt, quæ ratio & rerum probabilis analogia ſuadent. *Primi ergo Electores jus eligendi habuerunt aut à ſeipſis, aut à ſuperiori, aut ab inferiori.* Quartum enim hîc nemo dabit, cum paritas Electoralis (qua talis) pari Collegarum paſſu ambulet, & nihil ſui ipſius cauſa exiſtere poſſit. A ſuperiori eam non habuerunt, quia ſuperior Magiſtratus vix unquam ſibiipſi vel poſteritati compedes injiciet,

ciet, ſed ſuperioritatem ſuam ſemper plus extenſam, quam uſpiam imminutam; & ad ſuos potius, quam alios derivatam cupiet. Vnde leges fundamentales non alio fine latæ ſunt, quam ut effreni dominantium libidini obviam iretur. Ergo vel à minori vel à ſeipſo quiſque eam habet. A ſeipſo ſimpliciter eam non habere potuit, quod, uti ſupra dictum, Electores & numero pauciores, & viribus longè minores fuerint, quam cæteri Imperii Ordines & populus conjunctim ſumti. Quod ſi enim tum purè in ſola & illuminata Electorum poteſtate fuiſſet, ſine reliquorum Procerum & populi conſenſu hunc vel illum Imperio obtrudere, id non tam Monarchicæ in Imperio tyrannidi remedium tuliſſet, quam abſoluti paucorum arbitrii ſpeciem obtinuiſſet, & non minus, quam illigata Imperatorum poteſtas in tyrannidem degenerare potuiſſet, & populi Vniverſitati ſtatim ſuſpectum fuiſſet. Relinquitur ergo tertium, quod *Electoralis Dignitas primum à minoribus conceſſa ſit.* Ii ſunt tum Principes, tum populus & Ordines, ordinarii populi Legati. Principes minores dicuntur Electoribus, non ideò, quod vel cuncti collectim, vel aliqui ſingulatim Electoribus, quoad vires, non pares fuerint: ſed quod Iis hanc dignitatis prærogativam ſponte conceſſerint, vel ob extraordinariam virtutem, & pro ſalute patria ſolicitudinem, vel Familiarum ſplendorem. Suam autem poteſtatem ipſi Principes & reliqui Superiores Imperii primitus acceperunt à populo. Vnde pateſcit, quemadmodum *Electoralis poteſtas à Principibus & populo ejuſque Legatis primam ſuam originem traxit, ſic eandem publicam quoque totius Vniverſitatis ſalutem potius, quam paucorum commodum privatum ſemper quærere, & pro ſummo fine habere debere.* Hinc meminimus, noſtra & Patrum ætate, Comitia Electoralia ex Lege, in certo ſtrictèque præſcripto loco celebrata fuiſſe, tanquam in conſpectu & præſentia præcipuorum Imperii procerum: non, quod cæteri Principes aliquam Vovendi facultatem habuerint reliquam, ſed quod Electores pro re nata prudentiorum conſiliis uti poſſent, nec in præſentia totius Repræſentativi Imperii largitionibus & fraudi locus relinqueretur. Qui Locus Lege præſcriptus, vix unquam citra Libertatis præjudicium neglectus eſt, Comitiis iſthic celebratis, ubi vel Libertatis aſſertorum Proteſtationes eludi poterant, vel ubi ipſis ejus aſſertoribus comparere minus tutum erat. Vt patet ex Sleidano ſub anno 530, ex Electione Ferdinandi I. Coloniæ, & nupera Ferdinandi III. Ratisbonæ inſtitutâ: cui iſthic Elector Saxoniæ per Filium,

Digitized by Google

hîc Palatinus & Trevirenſis contradixere. 6. Quemadmodum Carolus IV. Electorem largitionis convictum, ſtatu Imperii non turbato, Voto ſuo privat (peccato ſingulari & in commune minus noxio, leviori pœna impoſita) ita ſtatu Imperii deplorato & Libertate proculcata, Principes Imperii, quotquot illorum viribus & autoritate cæteris eminent (ut hoc ævo Rex Daniæ, ratione Holſatiæ,) nec non ipſa populi univerſitas, totum Elect. Collegium ad tribunal vocare & re examinata jus eligendi, ob pernitioſum ejus abuſum ſibi repetere, & dignioribus conferre poſſunt, quotieſcunque Electores publicam Libertatem venalem habuiſſe convincuntur. Objicis: Imperatorem Legem Carolinam tuliſſe, ideoque poteſtatem eligendi à ſuperiori proficiſci. Reſp. Carolum ipſum jam antè, juxta formam Electionis tum uſitatam electum fuiſſe. Dum ergo paulo poſt Auream Bullam ſancivit; & priorem Electionis modum in meliorem ordinem redegit & certæ Formulæ aſtrinxit, quam etiam pro fundamentali Imperii norma promulgavit, fatendum quidem eſt, id ſub ejus nomine, ad priſcæ Majeſtatis Romanæ qualem qualem imitationem ſuſceptum eſſe, ſed non ſine voluntate, juſſu & conſenſu Principum & populi, quippe cujus ſecuritati & quieti publicæ contra temerariam Invaſorum & Competitorum Imperii libidinem eo ipſo conſulebatur. Quemadmodum & noſtri Pacificatores tantos ſibi ſpiritus ſumere non auſi ſunt, ut pro abſoluto Duumvirali Imperio (quod Auſtriacis non incommodum fuiſſet) Decreta ſua Pragenſia canonizarent, ſed tum demum, poſtquam per vim & minas Ordinum conſenſum partim extorſiſſent, partim emendicaſſent, pro lege Imperii haberi voluerunt; Eo ipſo conteſtantes Arbitrium Imperatoris, vel ſolius, vel cum uno & altero occultè conſpirantis, contra priſtinum Legum tenorem nullius valoris eſſe. Ad has itaque normas (ut Prodromus noſter multa alia nunc reliqua faciat,) ſi nuperam Electionem Ratiſponenſem examinemus, vel meridiano ſole clarius elucebit, *eam nec quoad cauſam efficientem, nec quoad finalem; neque in materiali, neque in formali legitimam fuiſſe.* Quoad efficientem, ſtatus Collegii Electoralis notiſſimus eſt, dum legitimus hæres Palatinus à Conclavi remotus, nova creatura Auſtriaca ſubſtituta, Trevirenſis vinculis detentus: cæteri largitionibus corrupti, ut ſupra loco 8. prolixe demonſtratum eſt. Quoad finalem, conſervatio Germanicæ Libertatis, ſuprema Imperii lex neglecta, & Auſtriacæ Domui palam vendita eſt. Materiale

riale eſt Ferdinandus III. publicus Libertatis oppreſſor, non minus quam ipſe parens, vel eo ſolùm nomine formidabilis, quod ab iniquiſſimis parentis Innovationibus in Hungaria, Bohemia & ipſo Imperio vix quicquam remiſſurus ſit. Unde novæ in horas commotiones metuendæ, quæ omnes evitari potuiſſent, ſi Electores muneri ſuo ſategiſſent, Electionemque ad obitum Ferdinandi II. differentes, eo defuncto vel Faſces alii pacatiori Familiæ obtuliſſent, vel Pace æquis conditionibus domi foriſque confirmata, modernum Ferdinandum ex legum præſcripto, ab irregulari hoc omnium actionum curſu, ad conſtantem legum obſervantiam revocaſſent. Formale, norma legis Carolinæ, multipliciter everſum eſt, non temporis ſolum & loci, ſed & modi agendi ratione, ut cum tempore prolixius. Hîc itaque mihi contemplare, non Electoralis Collegii, ſed Domus Auſtriacæ Magnitudinem, quæ tot Reges, quot Electores ſibi ſubjugavit. *Ite nunc Germani & Hiſpanum deinceps Regem Aſinorum* (mancipiorum) *appellate: illico Legatus Hiſpanicus replicabit, ut publice Ratiſponæ jactitavit, Regem ſuum ibi tres Imperii Electores ſuſtentaſſe,* atque inter greges ſuos pabulaſſe: quin imo Regem ſuum, Ferdinandum Regum Regem hodie regere, & ipſo mediante Reges Electores, à quibus ipſe creatus, pro lubitu conſtituere & deſtituere.

Quartò: Inclytum Regimen Caſſellanum in ſpecie tanto magis præ aliis Statibus Pacificandi neceſſitatem, & belli protrahendi Impoſſibilitatem cauſari poſſet, quanto diutius in cauſæ juſta defenſione perſtitit, quam alii. Accedit viduitas, hæredis minorennitas, Promachi defectus, alimentatio ſenioris Dominæ Viduæ Mauritianæ necnon Dominorum fratrum: ubi obſtet patrii ſoli deſolatio, urgeat Statuum & Nobilitatis voluntas, defectus nervi, annonæ & aliarum belli neceſſitatum. Regerimus, Deum eſſe protectorem viduarum & orphanorum tam ipſo belli gliſcentis tempore, quam extra illud. Quod Celſiſ. Dn. Vidua poſt exceſſum glorioſiſſimi Dn. Mariti non una vice agnoſcere potuit. Quamvis enim federatorum expeditiones hactenus non omnino ex votis ubique ſucceſſerint, divina tamen clementia inclytam Domum Caſſellanam, inter tot nimbos periculorum, præter multorum ſpem miraculoſe protexit, ut præter luctum funebrem, communem Naturæ ſortem, nuſquam gravius aliquod damnum ſit illatum. Quod nuſquam hoſtium benevolentiæ, ſed ſolius Dei bonitati tribuendum eſt. Neque Promachi obitus & hæredis infantia bello jam ſuſcepto, tantum obeſſe poteſt, quam ſi Camarina de novo movenda eſſet. In prom-

Digitized by Google

promptu enim ſunt miles veteranus, Res tormentaria, loca munita, alimentatio militiæ ex hoſtili agro, & quod potiſſimum, ſupremi Legati rerum uſus & experientia, qui finitis induciis, hoſtibus par pari rependere poſſet, quorum vires à ſociis hinc inde diſtractæ non patiuntur, ut firmiorem aliquem locum nedum plures obſidione tentent. Poſtulata Statuum quod attinet nemo diffitetur, poſtquam tanto temporis ſpatio, non ſine maximis oneribus præſidia ſua ſuſtentarint, omnes Pacem meritò ſeriis votis deſiderare. Sed breviter: Redeat hodie Inclytum Regimen Caſſellanum cum Liga in gratiam, an propterea præſidia vel poterunt imminui vel dimitti? Ut brevi idem experiantur quod Wolfenbutum, Philippopolis & Urbes Sueviæ atque Rhenanæ. Quodſi ergo è duobus malis minus eligendum, quis non videt, multo conſultius eſſe, ut in cauſa tam ſancta & neceſſaria parti meliori adhæreas, quam turpi fedifragio eam deſeras, nec tamen poſtea tibi defendendo ſolus ſufficias, ſed utriuſque partis telis exponaris: Illius quidem, quippe in ſpeciem tantum reconciliatæ; hujus, quippe lata culpa graviſſimè offenſæ. *Nobilitatem videamus. Ea, paucorum heroicis animis exceptis, ob ſui Status rationes, quæ hujus loci non ſunt, nuſquam ferme Principibus ſuis conſtanter adhæſit, ſed dum potuit, immediatè potius à Cæſare pendere, ejuſque nutum ſequi, iraſque ferre, ut in Franconia factum, & inanem aſpirationis notam agere, quam ſive proximè ſupra Vrbes, ſive proximè infra eas peculiare Reipublicæ membrum repræſentare, ſuoque proprio Voto gaudere maluit. Sit ergo quod plerique ex Eadem in diſtrictu Haßiaco quoque antiquum obtineant, dum tamen præcipui cum ſua Celſ. faciant, nil gravius inde metuendum erit. Nec diffidendum quin inclytum Regimen cæteros omnes ſua dexteritate ad exoptatum conſenſum & condeſcenſum ſit flexurum, haud aliter quam primum Mobile ſphæras inferiores, ſuo cæteroquin contrario curſu euntes, motus ſui firmitate ſecum trahit.* Quoad domeſtica Aulæ Caſſellanæ onera, & alimentationem diverſarum Principalium Familiarum notum eſt, ſingulis ſuas præfecturas ad ſuſtentationem ſeorſim deputatas eſſe, quibus, citra partium ſtudium, ſervata neutralitate uti frui licebit. Hoc tantum addimus. *Vndenam majus commodum ad Domum Caſſellanam & omnes ejus ramos profecturum putemus? Num à præſentibus ſociis an ab hoſtibus in eventum reconciliatis?* Venio tandem ad belli neceſſitates, *ubi, ſi Militiam Haßiacam cum armis hoſtilibus compares, facilè liquebit, neminem è Landgravianis præ aliis exercitibus de ſtipendiorum defectu conquerendi occaſionem habuiſſe, ideoque tanto etiam ad omnes occaſiones paratiorem eſſe debere, ſi qua ratione id, quod durantibus induciis, nemini tantum quantum hoſti pro-*

ſti proficuis, neglectum eſt reſarciri queat. Quodſi autem vel armaturæ vel annonæ vel nervi penuria laboremus, præterquam quod hoſtes ab ea febri non immunes ſint, iſti quoque defectus tum propriis viribus tum Sociorum ope poterunt reſarciri.

Quintò: Sunt quoque ſapientuli, qui inſuſurrare auſint: *Socios exteros data occaſione rebus ſuis conſulturos, & nulla Domus Caſſellanæ ratione habita, cum Ligiſtis Pacem tractaturos eſſe, eoque caſu male omnino huic Lineæ conſultum iri, gratiæ januâ tum præcluſâ, cujus fores nunc adhuc late pateant.* Reſpon. Occluſionem gratiæ ab iis non magnopere metuendam, qui & ipſi Ordinum evigilantium gratiâ brevi egere poſſint, nec dum gratiæ nihil delinquentibus offerendæ aut concedendæ fontes ſibi ipſis ſatis altè foderint. Porro ſic colligo: ſi Regimini Caſſella. tutum eſt, Pace cum Ligiſtis inita, fidei hoſtium ſe & ſua committere, quorum odia nunquam niſi cum ipſis remittent, quanto tutius erit fidei ſociorum ſeſe concredere? Nemo enim malus præſumendus, donec contrarium demonſtretur. Sed eſto! quod omnis humana fides hoc ævo nutet, & multorum Principum promiſſa non plus ligent, quam quantum eis conducit: ipſa tamen *publici Status fundamenta, & præſens rerum facies, ſi tam Socios quam hoſtes aſpicias, edocebunt, majus Landgravianarum rerũ præſidium in Sociorum fœdere, quam hoſtili reconciliatione poſitum eſſe.* Protrita Germaniæ Libertas non ſemel à nobis depicta eſt & inde dependens dudum præconcepta abſoluta Monarchia Hiſpanica, quæ exterorum Principum ruinam tam procul à ſe remotam habet, quam lupus propriam caudam. Dum ergo Socii exteri, quamvis maxime Domus Caſſellana ſe ab iis ſeparet, ſui tamen Status ratione cum adverſa parte reconciliari nequeunt, niſi ſecura & univerſali Pace recuperata: eccur amabo hujuſmodi quippiam commiſſuri finguntur, dum eis conſtanter adhæremus? Obtineat Ferdinandus quod ei Decretis Pragenſibus indultum eſt: vel ſolus titulus Imperatorius ſufficeret ad litem Gallo propter Metenſes movendam, quamvis hodie nunquam actor præſentis Tragœdiæ fuiſſet. Quanto minus id concoquere poterit, quod capto Briſaco ſuperaddita Lotharingia, itemque cum Alſatia bona pars Ibericæ Burgundiæ, quibus Galli hæreditariis Auſtriæ Provinciis tanto viciniores facti. Dicis: omnia per tranſactionem poſſe reſtitui. Dico: Libertate communi prius in integrũ reſtitutâ ſufficientibuſq; cautionibus communita, & præſtita, non minus Regi Galliæ juſta ſatisfactione pro ſumptibus bellicis, quam Hiſpano, Provincias Palatinas eo nomine hactenus reti-

 nenti.

Digitized by Google

nenti. Sed progredimur ad inclytum Regnum Sueciæ, & firmiter ſtatuimus: *Si vel hodierno die Illuſtriſſimi ejus Gubernatores aquas conditiones à Liga obtinere poſſent, & tales quidem ut omnes prætenſiones, quæ ex præſenti bello, Coronæ Suecicæ olim moveri poſſent, præſtita ſufficienti ſecuritate in æternũ abolerentur, Eos ex ſola tamen hac ratione, Sociis neglectis, particularẽ Pacem nunquam admiſſuros, quod ſciant Polonicales Inducias ſenſim effluere:* quibus elapſis, Auſtriaci novo vinculo nunc intercedente, Poloni rebus nunquã defuturi eſſent, niſi univerſalis & undique concatenatæ tranſactionis repagulis cohercean-tur. Magnæ conſiderationis erat verſus ille triumphalis, in nuptiis Regiis Warſovienſibus anno 1637. non ſine riſu, ſed ſine re ſuperbiens.

Annon perpetuos SCEPTRIS *dabit Illa Nepotes?*

Id legens inſtitutâ collatione inter Upſalienſem & Cracovienſem Politicam dicebam, SCEPTRUM *in Republ. Poloniæ, plurali numero carere.* Quorſum tamen id tendat haut difficulter olfaciunt Dnn. Tutores Sueciæ: Nec hactenus in gratiam novorum è Polonia hoſpitum, antiquum ipſorum Balneum Talerianum exſiccari paſſi ſunt. Ad ſpectatores præſentis ampliſſimæ Tragœdiæ ſi venias, tantum abeſt ut illi omnes & ſinguli tranſactioni Pragenſi & inde pendenti Monarchiæ Auſtrio-Hiſpanicæ acquieſcere poſſint, ut potius quilibet tela inde in ſe directa prævideat. Moſcus antiquo reatu Hiſpanis obnoxius eſt, quod vernum ſolem nonnunquam æquo diutius detineat, unde Patrum noſtrorum ætate ceraſis & ficubus in Hiſpania damnum ſit illatum. Cui nuper duplex crimen acceſſit, quod pace ſibi probroſa Suecos, Auſtriæ hoſtes infenſiſſimos reddiderit potentiores, dum Ingriam iis conceſſit. Hollandorum etiam Ubiquitariis mercatoribus inexhauſtum granarium & horreum ampliſſimum in Urbe S. Michaëlis aperuerit, idque eo ipſo tempore, quo ex interdicto Licentiarum ut vocant, parietes Belgarum jam tum pateſcere occipiebant: quod non impune feret, quam primum Braſilia recuperata mediocris ſaltem claſſis ablegabitur, quæ Ruſſiam undique patentem ferro & flammis repleat. Præſens etiam totius Holſatiæ & Archiepiſcopatus Bremenſis, à belli Contributionibus immunitas olim vix non ad calculos revocabitur, quod hactenus muſſitandum fuit, non ſine jactura Cæſarei exercitus, in vicino tractu Megapolenſi colliqueſcentis: *ne inclytus Daniæ Rex ob eam, qua oppreſſa Imperii Libertati obligatus eſt fidem denuò ad communis Cauſa defenſionem proſiliret: interim tamen Domus Auſtriaca hanc magnitudinis laudem inde reportat, quod ex Decretis Pragenſibus, Archiepiſcopa-*

tus

Digitized by Google

tus Bremenſis &c. non Saxonis Interceſſione nec legitima poſtulationis jure Dani Filio debentur, ſed mero indultui & ſoli Auſtriacorum benevolentiæ acceptus ferendus ſit: & inclytus Daniæ Rex quaſi pro benigna Diſpenſatione, circa Decretũ nulla juris ſpecie nixum, Gratias adhuc agere debeat. Quanti interim Domus Auſtriaca Tranſactionem Lübeccenſem faciat, dubia illa Hamburgenſium privilegia abundè docent: quos vel torvo oculo offendere, piaculum, *niſi Rex Daniæ hac aurea eſca à Socio bello avocandus eſſet.* Multis enim notum eſt, armaturam Hiſpanis & Ligiſtis ſæpius antehac tam in Belgio quam imperio defuturam fuiſſe, ipſam etiam Magdeburgum huc uſque durare potuiſſe, niſi Cæſareani perpetuum à multis annis, omnium belli neceſſitarum iſtic habuiſſent, hodieque haberent gazophylacium. Licet autem Auſtria hoc rerum ſtatu Daniam apertè non mordeat, obliquè tamen per tertium pungere non ceſſat. Nec enim ipſe cæcus Longinus divinando non aſſequi poſſet, cujus inſtinctu lis illa graviſſima ſuper Telonio maritimo Gedanenſibus ſtatim poſt connubium Auſtriacum mota ſit. Conſentirent tantum Lithuani! *Et haberent Domini Poloni portum Gedanenſem, pro tanto ſabuli tantulum ſali, tantum navium quantum abietum, tot naucleros, quot utricularios, nec non pro ferreis cothurnis, vela & lineos equos* (quæ Gedanum & Pillavia abunde ſuppeditare poſſent) *citius fretum Balthicum hinc atque hinc ab Iberica & Lechica gente obſeſſum, novamque iis locis Duynkerkam, quam portum omnium Sanctorum ab Hollandis recuperatum cerneremus.* Id quia non ſucceſſit, iræ Polonorum à Ladiſlao non minus quam Sigiſmundo tranſmiſſis Ferdinando copiis auxiliaribus, in innocentes Imperii Ordines evomendæ fuerunt ne olim Deo juvante deſit, qui parem gratiam iis referat. Domini Hungari hodieq; habent, quod gratias agant magnanimo Bethlehemo Gabori, è cujus prudentiſſima diſpoſitione id fluit, quod feræ, templorum Euangelicorum reliquiis, *ex ſuſpecti vicini formidine,* nondum objectæ ſint, ſed vox illa heroica in ultimis Comitiis Poſonienſibus perſonuerit: *Quærite primum Regnum Dei &c.* Reſpublicas quod attinet, nunquam vel prætextus vel fuſtis defuturus, ad eas probè dedolandas. Licet enim urbes maritimæ pro venti commoditate velificare poſſint, de ſolâ tamen reſidua ſup. Germaniæ quadrigâ jam conclamatum eſt; vel ob hanc unicam cauſam, quod ſe à Principibus ſepararint: cum nulla ex iis, præter unam Argentinam, ob fidos vicinos firmam, futuris hoſtium inſultibus reſiſtere valeat; nec ipſa Agrippina poſt Legati Pontificii diſceſſum omnimodam ſecuritatem

Digitized by Google

ſibi polliceri poſſit. Ad exteras Reſpubl. quod attinet, quam primum Gallus Domui Auſtriacæ reconciliatus fuerit, præſens manifeſtum ſtudium Ipſius partium haud impunè ferent, ut ut illud eis ad ſui Status conſervationem maximè neceſſarium ſit. Rhætis jam retia tenſa: nec minus Liguribus quam Leodio. *Si dentato Veneti Leonis ungui roſtrum Aquilinum nocere nequeat, Legatus Hiſpanicus Turcam occulte in eum concitat: interim ad fraudem tegendam Triremes contra eundem offeruntur: omnia hoc fine, ut metu belli Turcici à partibus Gallicanis abſtrahatur.* Dum Bumulgi ad fontes & oſtia Rheni Marte ſuperari nequeunt, inventiunculis opus eſt, ad inteſtinam diſcordiam ciendam, vel Pace doloſa, ad ſtatus decipiendos. Nec quenquam juvabit, ſi Auſtrio-Hiſpani prævaleant, ipſos non læſiſſe; ſed & capitale erit, eos non juviſſe. Cujuſmodi judicium olim Don Vergas de innocuis Rom. Catholicis Belgis tulit. *Hæretici fraxerunt templa* (dicebat,) *Catholici nihil faxerunt contra, ergo debent omnes patibulare.* Vox digniſſima præſide Conſilii ſanguinarii: Cujus moderni ſucceſſores nondum obliti ſunt, ſagittas ſuas volantes etiam ad remotos ab orbe Britannos tranſmittere, non ſumptuoſâ ſed ſterili & infelici (ut anno 88.) C L. Navium claſſe, ſed ſub novæ Agendæ Eccleſiaſticæ involucro: viâ Hiſpanis minus quidem ſumptuoſâ; ſed, niſi Deus vigilaſſet ad Angliam turbandam, & auream Regni toto orbe florentiſſimi tranquillitatem in drama ſanguinarium convertendam, quam maximè accommodatâ. Quis ergo tam demens eſt, ut non agnoſcat, Socios Reges, etſi maximè vellent, arma tamen contra hanc inſatiabilem dominandi libidinem arrepta, non prius ponere poſſe, quam firmam, ſecuram & univerſalem Pacem recuperarint, & omnes injuſtè oppreſſos priſtinæ Libertati reſtituerint. Quodſi ergo Pax univerſalis obtinebitur, ejus quoque Domus Caſſellana non minus quam alii, particeps futura eſt.

Sextò & ultimo nonnulli etiam hunc in modum conſulent: magnam quidem æris vim in uſus Militiæ Landgr. hactenus à Sociis numeratam eſſe, ſed nec Bellonæ id ſufficere, nedum ut quicquam illius in uſus privatos potuerit converti, interim proprios reditus, bello gliſcente nimium quantum eſſe imminutos, æs alienum contractum, cui diſſolvendo, pro Ceſſione locorum occupatorum, Pace firmata, grandiori pecuniæ ſumma à Ligiſtis ſuccurri poſſit. His reſpondeo: ſicut puero Eliſæi præda ex aliena virtute comparata, olim malè ceſſit, ſic etiam ex ejuſmodi lucro, quod Sociorum ſudore & ſumptibus maximam partem